

[illegible]

Oratio lat. [illegible]

ANTONII ZENI
PATRICII VENETI
In Concionem Periclis & Lepidi
Ex libro primo hiſtoriarum
THVCYDIDIS
ET SALLVSTII,
COMMENTARIVS.







CVM PRIVILEGIO.

Venetijs, apud Bologninum Zalterium.
M D LXIX.

ANTONII ZENI
PATRICII VENETI

In Concionem Periclis & Lepidi

Ex libro primo historiarum

THVCYDIDIS

ET SALLVSTII,

COMMENTARIVS.





CVM PRIVILEGIO.

Venetijs, apud Bologninum Zalterium.

MDLXIX.

ANDREAE BADVARIO
CLARISSIMO VIRO,
ANTONIVS ZENVS S.





VETVS *ea est constanti doctorum hominum testimonio iampridem comprobata sententia, Andrea Baduari vir Clarissime, ex omnibus artibus, quæ ad uitam hominum instituendam, excolendam, ac certo ad beatitudinem præsidio muniendam pertinent, nullam aut usu fructuosiorem, aut dignitate ampliorem esse, quàm quæ ciuitatum instituendarum, ac regendorum populorum laudem sibi assumit, & uindicat. Etenim cum primum ipsum uitæ finem continet, qui est omnium præstantissimus, tum ceteris, quemadmodum*

facile peruenire ad eum poſsint, oſtendit; & habet præterea eas artes ſibi ſubiectas, & adminiſtras, quas omnes & uſu, & honore ceteris facile confitentur antecedere: inter quas neſcio quo pacto excellit, ac prope dominatur ea, quæ Eloquentiæ nomen habet, quòd ea uel ad ſua de rep. conſilia ſuadenda, uel aliena diſſuadenda, uel ad innocentes homines in ciuitate retinendos, uel ad nocentes inde pellendos totam ſe ſe explicans una prope & ciuitatum conſilia gubernet, & iudicia dirigat, quorum præclara conſtitutione ſatis conſtat omnem bene conſtitutam conſtare rempub. Huic igitur arti qui aut remp. habent, aut de ea capeſſenda cogitant, in primis oportere ſtudere iam inde ab ineunte ætate & domeſticis exemplis multis, & eorum, quos uerebar, auctoritate impulſus cum intelligerem, ita meæ adoleſcentiæ tempus traduxi, ut cum rerum phyſicarum cogno-

ſcendarum cauſſa in nobiliſsimis Italiæ gymnasijs Patauino, & Bononienſi uerſarer, nunquam tamen a rerum ciuilium & oratoriarum ſtudio oculos, mentem ue deijcerem: memineram enim, me præcipuo Dei beneficio eius ciuitatis ciuem eſſe, in qua, quòd libertate optatiſsima frueretur, & multorum conſilio regeretur, facile mea, quæcunque eſſet, excurrere induſtria, & meum elucere uel intelligendi, uel dicendi ſtudium poſſet. ut omittam præmia, quæ ſemper in noſtra rep. bonis, ac bene ſentientibus, beneq; dicentibus hominibus propoſita non mediocri me ad omnes labores excipiendos accendere cupiditate potuerunt. Itaque ex gymnaſio Bononienſi poſt quinquennium tanquam ex frequentiſsimo aliquo bonarum artium mercato ſic poſtulantibus rebus meis in patriam reuerſurus, ne tandiu ibi inani opera, & ſtudio fuiſſe uiderer, cepi conſilium, mecum ali-

quid

quid referre ex ijs, quæ diligentiore cura tractaueram. Fuerunt autem conciones duæ, una Thucydidis, altera Sallustij a me accurata in primis explanatione, quoad per me licuit, illustratæ, quæ, quòd caussas ciuiles continerent, atque artificio dicendi præcellerent, facile, quibus potissimum elaborassem in studijs, indicarent. Accedebat etiam, quòd nobilissima scriptorum ingenia, ac diuersa rerum publicarum, in quibus illa uersata essent, instituta, ac studia, sed tamen rei, ac tractationis ratione similia, plurimum & lectores legendo delectare, & ad dicendi laudem parandam non mediocriter iuuare posse intelligebam; præsertim uero eos, qui se totos cõsultationibus de rep. instituendis dedidissent: quæ præcipua nostræ hoc tempore iuuentutis uidetur esse cura. nam quæ suasionem grauißimam, belli nimirum continerent, ex magno propè concionum aliarum corpore excerpsi: quòd

id

id genus & usu, & dignitate præstantius, & Patricij Veneti studijs conuenientius esset. quæ eadem me caussa impulit, ut in his explanandis non summum solum in artificio dicendi aperiendo studium collocarim, sed etiam in rebus ciuilibus aliqua sæpe oportuna egreßione tractandis elaborarim, ac locorum, euentuumq; similium undique conquisita collatione ornare tentauerim. Hæc autem quæcunque sint, tuo potissimum dicanda nomini mihi putaui Andrea vir Clarißime, ne omnino a recepta consuetudine recederem eiusmodi genere industriæ eius honorandi, cui ego plurimum debere existimarem. Etenim si merita spectem tua, ea tua uirtus est, iam inde a maioribus tuis nobilißimis hausta, quorum gloria in hac rep. fuit maxima, ut iure amplißimus quisque ab omnibus tibi honos debeatur. huius locupletisßimi testes sunt eæ ciuitates omnes, quas maxima sapientiæ,

atque

atque integritatis laude rexisti, testisq́; senatus noster, in quo tu propter uim eloquentiæ propè dominari uideris: ob quæ etiam longe ante, quàm cuiquam alij ætatis nostræ contigerit, amplissimos quosque huius Reip. magistratus consecutus es. Sin autem præcipuam tui colendi caussam exquiram; amor tuus erga me, fratresq́; meos; qui ad affinitatem accedit, quæ tibi cum auunculo meo Vido Mauroceno uiro integerrimo intercedit, pro tua humanitate est tantus, ut non solum hoc exiguum ingenij mei monumentum, sed me ipsum quoque totum tibi, quemadmodum quidem cupido, uelim dicatum esse. Vale.

ANTONII ZENI IN PERICLIS CONCIONEM PRAEFATIO.





RÆCLARAM Periclis concionem à Thucydide historiis suis insertam exposituri, atque uarium eius, quoad consequi ingenio, ac diligentia poterimus, artificium expressuri, rem facturos opportunissimam arbitramur, si pauca prius de Thucydide, atq; ipsius dicendi ratione dicamus: siquidem tantum ad lectorum studia commouenda scriptorum laus, & gloria pondus, atq; momentum habet, ut ipsorum sæpe auctoritas apud plurimos pro ratione ualuerit. Quantus autem Thucydides, aut qualis fuerit, cum nobiles ab ipso in iudiciis superati oratores ostendunt, tum uero unus Demosthenes docere optime potest, qui tantum ei tribuit, ut, quemadmodum refert Plutarchus, ipsius historias octies manu sua descripserit. nam Dionysius Halicarnasseus in eo libello, quem de Thucydidis historiæ iudicio scriptum ad Tuberonem misit, non Demosthenem solum quamplurima ex ipso obseruasse, *De Thucydide.*

 uasse,

uaſſe, atque ad uerbum deprompſiſſe tradit, ſed alios etiam complures & hiſtoricos, & philoſophos, atque oratores idem diligenter feciſſe demonſtrat. immo uero in tanto honore ipſius ſcripta fuiſſe commemorat, ut præclariſsimi hiſtorici, & oratores illa ueluti regulam quandam ſcribendæ hiſtoriæ ſibi propoſuerint, & quaſi terminum quendam ſtatuerint, extra quem egredi nõ liceret iis, qui in rep. uellent excellere. Qui tamẽ eum tot laudibus afficit, idem eundem labibus, ac maculis multis aſpergit. ſiquidem ipſius & diuiſionem, & ordinem, amplificandi uſum, concionumque multitudinem reprehendit; multa etiam corrigit, & emendat; ſed in primis ipſum dicendi genus accuſat; id quod etiam in altero ad Ammæum libello apertius declarat. Id quod mirabile uideri poſsit, cum Demetrius Phalereus multo quàm ipſe ætate maior, & rhetor, & philoſophus eximius miris ubique in ſuo de dicendi generibus aureo libello Thucydidem iam pridem laudibus exornaſſet; immo uero, cum magnificum ei dicendi genus, quod reliquorum omnium digniſsimum eſſe uult, attribueret, eadem ferè omnia, quæ à Dionyſio reprehenduntur, ipſe laudaſſet; atq; ad hoc magnificum orationis genus maxime idonea, atque accommo-

data

data esse demonstrasset. Simile, atque par iudicium fuit etiam Dionysii Longini, qui, cum in sublimi illo suo dicendi genere hunc in primis nobis imitandum proponat, quæcunque uitupe rat Halicarnasseus, ipse mirabiliter commendat. Quamobrem etsi facilis Thucydidis defensio aduersus Halicarnasseum proponitur: tamen hoc in præsenti relinquemus: præsertim uero cũ non in elocutione, sed in inuentione Thucydidii esse uelimus, in qua quidem, & in iis, quæ ad sententiarum grauitatem, enthymematum uim, & affectuum motum pertinent, mirifice ab ipso met Dionysio laudatur. id quod etiam repetit in epistola ad Cn. Pōpeium. atque Cicero eum ita crebrum esse rerum frequentia iudicauit, ut uerborum prope numerum sententiarum nume ro consequatur, ita porro uerbis aptum, & pressum, ut nescias utrum res oratione, an uerba sen tentiis illustrentur. Illud autem, quod ex Marcellino, Dionysio, ipsoq; met Thucydide colligitur, non prætermittendum esse duco, Thucydidem dedita opera, ac summo studio huiusmo di dicendi genus sequutum esse, cum uideret eos, qui ante se fuissent, scriptores nuda, tenuiq; oratione usos, atque proprietatem magis, quàm tropos adamasse, uerborumq; compositionem

ſimplicem conſectatos; Herodotum uero ornamenta quidem, atque uerborum delectum adhibuiſſe, at neq; uires, neq; magniloquentiam attuliſſe. quamobrem propriam ipſe dicendi formam, atque à reliquis hiſtoricis, & à uulgari conſuetudine remotam delegit, magnificoq;, atq; ſublimi hoc, quod uidemus, exquiſitiſsimo dicendi modo uſus eſt. itaq; Cicero in Orat. ſic ait. *Quo magis ſunt Herodotus, Thucydidesq; mirabiles, quorum ætas cum in eorum tempora, quos nominaui, incidiſſet, longiſsime tamen ipſi à talibus delitiis, uel potius ineptiis abfuerunt: alter enim ſine ullis ſalebris, quaſi ſedatus amnis fluit; alter incitatior fertur, & de bellicis rebus canit quodammodo bellicum.* Imitatus autem hic eſſe iudicatus fuit Homerum in delectu uerborum, & in accurata compoſitione, & in firmitate, pulchritudine, celeritateq; orationis; Pindarum in magnificentia, & ſublimitate characteris; Gorgiam in comparibus, & oppoſitis; & Perdiccam Chiũ in diligentia nominum. Hiſtoriam ſcribere aggreſſus eſt ab initio belli Peloponneſiaci, eam autem exornauit in Aegina inſula, ubi, cum in exilium ab Athenienſibus ob res male geſtas apud Amphipolim uigeſimo belli anno miſſus eſſet, otio uacauit. Hic ueritati adeo ſtuduiſſe fertur, ut apud Lacedæmonios, & apud Athenienſes,

qui

qui uera ſibi nunciarent, ſummâ mercede conductos habuerit. itaq; ἀγωνίσματα eius hiſtoriæ appellatæ ſunt, ac propterea etiam hiſtoria ei eſt conſecrata. Non potuit tamen morte ante quinquageſimum annum præreptus hiſtoriam perficere. nam etiam octauus hiſtoriæ liber ceteris incomptior eſt. quo factum fuit, ut illum nonnulli eius filiæ, aut Xenophonti adſcriberent. itaq; Dionyſius immerito in hoc Thucydidem reprehendit, quod non ubi promiſit hiſtoriam finierit. Ac de ipſius quidem eloquentiæ laudibus, hactenus. Nunc, quoniam conciones eius à Cicerone in Orat.ob obſcuras ipſarum, abditasq; ſententias, id quod in oratione ciuili uitium eſſe uel maximum cenſet, à forenſi, & publico uſu remouentur; id quod etiam cum eo, quod ab Ariſt.Rhet.tert. præcipitur, conſonum eſt, cum ait. *Concionum elocutio umbratilis utique picturæ ſimilitudinem imitatur, quia quanto maior turba fuerit, tanto longius ſpectatur. quare ſummum ſtudium in utraque inane, malumq; uidetur.* his de cauſis, ne meũ his auctoritatibus iudicium condemnetur, illud opponendum uidetur. quod in dicendo uitium eſſet uel maximum, id in ſcribendo laudatiſsimũ eſſe: eſt enim, ut ibidem docet Ariſt. longe diuerſa elocutio eorum, qui dicunt, & qui ſcribunt.

bunt. *Ceterum ſcriptionum elocutio eſt, quæ accuratiſsima, contentionum uero, quæ maxime cum actione coniuncta.* quare paullo poſt addit. *Quin ſi inter ſe comparentur orationes, quæ quidem ſcriptorum ſunt, in contentionibus anguſtæ, quæ uero oratorum quanquam bene habitæ, tamen inter manus uulgares habentur.* His adde, quod Demoſthenes ipſe, qui dicere ex tempore putabatur, notatus eſt, quod oratio eius lucernam oleret, ideſt, quod ubique accuratiſsime, & quaſi ex ſcripto diceret, quod etiam indicant eæ partes orationum, quas ex una in alteram tranſtulit, ut Homerus uerſus. Accedit etiam id, quod in primis me mouet, quod in noſtro Senatu doctiſsimis, ſapientiſsimisq; tantum uiris referto, ad quorum iudicium, & uoluntatem, ut oratio noſtra accommodata ſit, nobis eſt omne ſtudium, curaque ponenda, nihil non exquiſitum, & elaboratum, quodque in primis grauitatis plenum ſit, & omnino ſententiis, rationibusq; refertum, quales ſunt huius omnes conciones, afferri oportet. Eſt etiam illud animaduertendum, quod non eadem ornamenta, & eundem apparatum capiũt hæ conciones, quæ ſunt hiſtoriis inſertæ, & quaſi caſtrenſes ſunt, atque illæ, de quibus tunc præcipit Cic. & Ariſt. quales ſunt illæ, quæ uere à Cicerone, Demoſthe-

stheneque recitatæ sunt. Verum his in præsenti prætermissis, ego hanc potissimum concionem interpretandam suscepi, quod inter ceteras omnes pulcherrima sit, dignissimaq;, in qua studiū, & obseruatio singularis adhibeatur, idque non meo, sed Dionysii Halicarnassei iudicio, qui de ea sic iudicat. *Ex concionibus uero illam magnopere sum admiratus in primo libro Athenis habitam à Pericle, in qua agitur, ne Lacedæmoniis Athenienses cedant; cuius hoc est initium.* τῆς μὲν γνώμης, &c. *quæ quidem oratio, & quod ad sententias attinet, diuine est enunciata: &, quod ad compositionem partium, & figurarum non cohærentium, & coarctarum mutationes spectat, minime auribus est molesta: in qua omnes eas uirtutes, quæ in concionibus usurpantur, adhibitas uidemus.* Quare cum adeo admiratione, studio, imitationeq; digna hæc oratio sit, sequitur, ut ad ipsam explicandam nostram merito operam, atque industriam conferamus. Cum autem tria sint, ut docet Arist. ex quibus omnis constat oratio; *is qui dicit, res, de qua dicit, & is, ad quem*; quorum cum perfecta ab oratore cognitio tenenda, tum ratio in dicendo diligenter habenda est, quippe in quibus eloquentiæ uis omnis consumitur, & ex quorum uarietate diuersitas omnis præceptorum oritur; iccirco, & nos his in præsenti Periclis oratione explicatis,

catis, deinceps artis præcepta indagemus; atque ab his, ueluti προλεγομένων loco præpositis, expositionis initium ducamus. ac primum de ipso, qui loquitur, Pericle dicamus.

De Pericle. Magnus ergo uir Pericles, ac prope auctoritate, & gloria princeps ciuitatis Atheniensis fuit: siquidem multorum, & maximorum philosophorum consuetudine usus Pythoclidis, Anaxagoræ, qui ob diuinam sapientiam νοῦς dicebatur, ac denique Damonis, ut ex Platone in libro de natura hominis apparet, uarias inde, excellentesq; sibi disciplinas compararat, & cum ad has ingenii acumen adiungeret, inde, ut censet Socrates in Phædro, & mentis sublimitatem, & in dicẽdo uim sibi peperit. ex quo deinceps Olympii cognomen inuenit: etenim fulgurare, tonare, & Græciam permiscere dicebatur, leposq; in illius labris habitasse à ueteribus comicis ferebatur. Verum cùm adeo in dicendo ualeret, fiebat tamen, ut ob naturalem quandam in rebus omnibus grauitatem, summamq;, nec eam tamen inuidiosam, immo etiam popularem seueritatem rarius ad dicendum accederet, seq; ad res maximas tantum, ueluti Salaminiam triremem, reseruaret. Quin etiam ex ingenua, moderataq; hominis natura, siue ex incredibili eius in patriã amore,

amore, & caritate eueniebat; ut, si quando in suggestum ei esset ascendendum, animi timore, metuq; semper aliquo perfunderetur: quare ab initio uota Diis, ne uerbum sibi, quod minus e rep. foret, in mentem ueniret, facere solitus erat. eademque fortasse de caussa accidit, ut nulla fe re scripta præter decreta quædam, ut inquit Plutarchus, siue etiam oratiunculas quasdam, quas uidetur significare Cicero se uidisse in Bruto, etiamsi illas Quint. falso illi attribui existimarit, ab eo in lucem edita fuerint. Sed ex eiusdem præterea probitatis, moderationisq; fonte ille etiã, qui & Fabio Maximo est attributus, prouidentiæ, cautionisq; salutaris habitus emanauit: ob quem etiamsi inter reliquos omnes Athenienses duces fortissimus, peritissimusq; imperator haberetur, nunquam tamen totius certaminis aleã experiri uoluit. Quare, cum ad omnia fere, quæ tunc inciderent bella gerenda prætor sæpius, atque etiam αὐτοκράτωρ aliquando electus esset, ea omnia sine uulnere, atque etiam sine ullo militum detrimento, quos etiam, quod ad se attineret, immortales fore prædicare solebat, felicissime confecit. His igitur tantis, tamq; præclaris uirtutibus Pericles præditus ad remp. accessit. cumq; duæ in rep. Atheniensi partes essent,


locupletum una, altera tenuiorum, ipſe populi partes amplexus eſt; tum ut præſidiis ſe contra inuidiam, tyrannidis ſuſpicionem, oſtraciſmiq; legem muniret, quæ ob diuitias, generis nobilitatem, amicitias multas, eximiasq; uirtutes, & in primis, quoniam, ut Plutarchus ait, Piſiſtrato ſimilis eſſet, ſibi uehementer timebat; tum uero maxime, ut uires inde contra Thucydidis, Cimonisque diuitum partis potentiam compararet. qua in re liberalitatis præcipue popularis auræ optimæ captatricis inſtrumento uſus eſt: ex propriis enim facultatibus pauperes multos alere, ſenibus ueſtimenta præbere, petentibusq; nihil negare ſolebat, propriorum etiam agrorum maceriis ea de cauſa deturbatis cuicunque fructus permittebat. quin etiam non ſolum de ſuo, uerum etiam de publico, dum remp. adminiſtraret, liberaliſsimus, munificentiſsimusq; erat: ſpectacula enim, epulasq; plures ſæpius inſtituit; ædificia multa, ueluti naualia, mœnia, portum, murumq; medium, ut refert Plato in Gorgia, aliaque multa, quæ à Plutarcho diligentius enumerantur, ut inde populus lucri occaſionem haberet, facienda curauit; triremes etiam quamplurimas ædificauit, easq; ſæpius, & multas, unde naualis turba, quæ plurima erat, aleretur, emiſit:

ſit: quin etiam illi primus ſtipendia præbuit, idemq; etiam primus de peditum ſtipendio tulit, quod Plato in Gorgia, & Vlpianus ad orationem de ſyntaxi prodiderunt: ſimiliterq; iudicibus mercedem idem conſtituiſſe, & Areopagi præterea conſilium in populi gratiam imminuiſſe, eiusq; auctoritatem afflixiſſe, ab Ariſtotele ſecundo Politicorum dicitur: ut alia omittam plurima, quæ ad popularem gratiam captandam pertinentia à Plutarcho adiiciuntur. Quo factum eſt, ut quemadmodum teſtatur Plato in Alcibiade primo, non apud ſuos ciues ſolum, ſed apud uniuerſam prope Græciam, multasq; Barbarorum gentes omnia poſſe uideretur, ipſisq;, ut idem confirmat in Theage, uolentibus Athenienſibus dominaretur. unde in eum reſp. Athenienſis ſtatum deuenit, ut, quemadmodum cenſuit Thucydides in ſecunda hiſtoria, uerbo quidem ſtatus popularis, re autem præſtantiſsimi uiri dominatus eſſet. quem quidem ut ab initio ſibi compararet, etiamſi, ut exiſtimauit Socrates in Gorgia, inſolentior, arrogantiorque populus Athenienſis ab eo redditus erat, poſteaquam tamen Thucydidis, Cimonis, Demoſthenisq; potentiam imminuit, non ita omnia populi libidini conceſsit, ſed modeſte, ſeuere, laudabiliterq;

ſterq; omnino ſe geſsit: ita ut, cum per quadraginta annos, ut eſt apud Plutarchum, reip. princeps extiterit, incorruptus omnino fuerit: itaq; cum à Samiis, regisq; miniſtris pecuniæ ſibi magna uis oblata eſſet, illas omnino repudiauit; relictumq; ſibi patrimonium in tot adminiſtrationibus ne una quidem drachma cumulauit; populo autem Athenienſi, cum manſuete eum, liberaliterq; tractaret, & regeret, non modo non aſſentabatur, ſed libere etiam, aperteq; ſæpius accuſabat, acerbiſsimeq;, ut Thucydides libro ſecundo, & Demoſthenes tertia Olynthiaca prodiderunt, obiurgabat. Cum tot igitur, tamq; præclaris uirtutibus in unum collatis princeps Pericles reip. Athenienſis & in dicendo, & in agendo procul dubio haberetur, nactus occaſionem, à qua eorum, quæ ad rem propoſitam pertinent, expoſitionis initium ſumemus, hanc concionem habuit.

De iis, quæ ad rem pertinent. Poſt bellum Perſicum Xerſis Lacedæmonii, & Athenienſes, qui in eo ceterorum duces, principesq; extiterant, ſe inuicem ſtatim æmulari, atque inter ſe diſsidere, & contendere incœperant: & per annos quinquaginta, etiamſi palam ſocii amiciq; eſſe uiderentur, quippe qui communia interim arma contra Aſiæ reges ferrent, clam

clam tamẽ inuidia odioq; mutuo uehemẽter ſia grabãt,& quoquo modo alterius inuicẽ magnitudinem, amplitudinemq; imminuere, & impedire, quoad poterant, conabantur. ſæpius autem inter eos fœdera & icta,& renouata ſunt; ueluti quæ inter ipſos, & utriuſque ſocios tricennalia ultimo loco facta fuerant. quæ tamen non fuerunt diuturna: nam Athenienſes Corcyræis, qui in fœderibus nemini ſe ſocios addiderant, contra Corinthios Lacedæmoniorum ſocios auxilium tulere; itaque Corinthii Potidæatas, Bottiæos, Chalcidenſesq; Athenienſibus ſubiectos ad defectionem impulere,& cũ his contra Athenienſes pugnarunt; à quibus prœlio ſuperati ad Lacedæmonios ſtatim cum ceteris fere omnibus ſociis confugerunt; Athenienſes, quod iniuſte fœdera rupiſſent, accuſantes, & ad bellum contra illos ſuſcipiendum incitantes. Quare Lacedæmonii cum Corinthiorum querelis permoti, tum etiam, idq; in primis Athenienſium potentiæ metu compulſi, quorum opes, & auctoritas hoc interim ſpatio mirum in modum creuerant, decreuerunt fœdus eſſe uiolatum,& una cum reliquis ſociis eſſe illis arma mouẽda; id quod decretũ fuit quartodecimo anno poſt fœderis ſanctionem. Statim igitur mittunt legatos ad Athe



nienses petentes, ut piaculum Mineruæ diluāt, eo consilio, ut Pericles, quem eo quod statum popularem foueret, & sibi semper aduersaretur, oderant, Athenis pelleretur; erat enim Clisthenis, qui eo crimine primus obstrictus fuerat, pro genies. quibus Athenienses; ut & ipsi Neptuni, atque Palladis pariter piaculum expiarent, responderunt. Secundo etiam per alios legatos petierunt Peloponnesii ab Atheniensibus, ut à Potidææ obsessione recederent, dimitterent liberos Aeginetas, & ut Megarensium decretum rescinderent, quibus multo minus paruerunt. Postremo nisi liberos Græcos omnes dimitterent, bellum denūtiarunt. Qua de re conuocata concione apud Athenienses, cum multa, uariaq; ab aliis dicta essent, hæc Pericles locutus est, in quibus populum ne Lacedæmoniorū mandatis obtemperet, ipsisq; nullo pacto cedat, suadet, & ad bellum suscipiendum hortatur. Atque ex his quidem ea, quæ ad rem, de qua Pericli dicēdum est, pertinent, quæque uniuersæ huic orationi subiiciuntur, non difficile erit uidere. siquidem, ut in unaquaque scientia subiectam rem eam esse iudicamus, quæ in ea præcipue consideratur, & ad quam reliqua omnia referuntur: ita etiam in orationibus singulis id, cuius caussa illæ suscipiuntur,

tur, & ad quod oratoris ſtudium, eloquentiæq; uis omnis dirigitur, ipſarum propoſitũ eſſe exiſtimamus. quare cum in præſenti concione hæc omnia ad bellum Athenienſibus contra Lacedæmonios ſuadendum dirigantur, ob quod etiam tota hæc oratio conſtituta eſt. quin hoc eiuſdẽ ſubiectum, materies, propoſituſq; finis ſit, nemini dubium uideri debet. cuius cognitio quoniã tantum ad cetera omnia intelligenda pondus à principio habere ſolet, ut inde reliquæ omnes cognitiones ortum trahere uideantur; de hoc mihi in præſenti, antequam explicationem aggrederer, dicendum in primis, ac diſputandum neceſſarium eſſe exiſtimaui. Quin etiam, quoniam in prioribus reſolutoriis; cap. de abundantia propoſitionum docet Ariſtoteles rationes, atque argumenta ad propoſitum omne probandum, ex concluſionis terminis hauriri; & de terminis quoque propoſitæ in hac concione cõcluſionis dicendum, explicandumq; à nobis uidetur: nam & in Rhetoricis quoque idem ſæpius hoc oratoribus præcipit eſſe faciendũ. Quare ſequeretur, ut in præſenti de Athenienſibus, id quod concluſionis propoſitæ τὸ ὑποκείμενον eſt, itemq; de bello, atque Lacedæmoniis hoſtibus, quæ τοῦ κατηγορουμένου loco ſunt, quæcunque ipſis inſunt,

ſunt, exponeremus, & ea in primis, ex quibus Pericles uidetur argumenta ſumpſiſſe. Verum de his, ubi ad ſuaſionis tractationẽ peruenerimus, dicendi locus erit. Nunc, quoniam ad unamquanque rem percipiendam, & diſtinguendam, ipſius generis cognitio mirum in modum ualet, oratoris autem omnis ſubiecta materia ad tria genera deducta eſt, ſub quibus etiam, ueluti tribus rhetoricæ formis, & partibus ſingula à rhetoribus præcepta traduntur; ideo & nos, ad quodnam horum generum hæc noſtra oratio redigatur, aperiamus. neque uero hæc quæſtio magnam habet difficultatem, ſi quis, quæ dicta ſint, accurate meminerit: nam cum in belli ſuaſione, hæc uniuerſa oratio poſita ſit, id quod unum eſt ex iis quinque, de quibus maxime conſilia dantur, generi ipſam deliberatiuo adſcribendam eſſe, manifeſtum eſt. Sed quia hæc nimis ſimplex cognitio, & admodum generalis conſideratio uidetur, unde ab oratoribus alia diſtinctior, arctiorq; adhuc ad inueniendum ratio excogitata eſt; hæc cuiuſmodi in præſenti oratione adhibita fuerit, à nobis exponendũ eſt. Parata ab oratore materia de qua dicat, atque orationis genere reperto, conſiderandum eſt ſubito, quid ſit id, quo referẽda ſit ei omnis oratio, ideſt in quo

con-

controuersia consistat, quo remoto non esset opus oratione: neque enim est satis caussæ genus cognoscere, sed uidendum est, in quo uersetur quæstio, ad quam sint argumenta accommodanda; quod intelliget, si uiderit, quid sibi conueniat cum aduersario, quid non conueniat: in omni enim genere dicendi, ut est apud Aristotelem Rhetoricorum secundo, aut est, aut ponitur esse aduersarius, qui dissentiat. ac ex his quidem status subito, qui ea de caussa στάσις græce dicitur, quod in hoc caussa consistat, ibique sit caussæ congressus, colligitur. de his autem statibus etiamsi non adeo aperte Arist. ut Latini, tradiderit, at eos tamen ipsum cognouisse, pluribus eius Rhetoricæ locis confirmare possem, quos, ne uerbosior sim, in præsenti prætermittam. Latini uero adeo inter se hac de re diuersa præceperunt, ut, quemadmodum censuit Quintilianus, in hoc illi præcipue studium posuisse uideantur. itaque nec qui sit numerus, nec quæ nomina, nec qui generales, qui ue speciales sint status, inter eos conuenit. quibus nos dummodo hos status non minus in sententiæ dictione, quam in ceteris orationum generibus reperiri concesserint, & oratori semper esse huiusmodi constitutionem ad argumentorum inuen-

uentionem necessariam, facile hoc tempore, & absque ulla disputatione reliqua omnia condonabimus. Cicero certe tantum abest, ut hoc neget, ut quonam modo iidem in ipsis deliberationibus existant status, pluribus in Topicis explicuerit. & in secundo de Oratore nihil non aut in facti, futuri ue, aut in qualitatis, aut finitionis quæstionem cadere, Antonium aperte affirmantem introduxerit. Sed & Arist. libro tertio artis rhetoricæ idem uidetur innuere his uerbis. *In concionibus aut euentura non esse contendemus, aut euentura illa quidem, quæ ille censet, uerum iusta non esse, aut non utilia, aut non tantopere.* Qui nam igitur sunt ii status, qui in hac nostra caussa reperiuntur? Quemadmodum orator ex statuum inuentione argumenta deinceps ad illos accommodat, sic in scriptarum orationum examinatione status, qui nam in eis sint, ex argumentorum cognitione colliguntur. id quod nobis in præsenti eodem modo præstandum est. Argumenta igitur omnia, ut uidebimus, in hac oratione ad honestatem, necessitatem, siue utilitatem, & ad facilitatem ostendendam tendunt. duos igitur habet hæc oratio status, negotialem, & coniecturalem; negotialem, quatenus honestatis, & necessitatis ratio assumitur; coniecturalem, quatenus


nus facilitatis. *Negotialis est*, ut censet Hermogenes, *disputatio de re futura*, εἰ δεῖ γενέσθαι τόδε, ἢ μὴ γενέσθαι. *an oporteat aliquid facere, uel non facere, dare, uel non dare: ueluti, utrum sepeliendi sint Barbari ad Marathonem interempti*. hunc autem pro specie quadam rationalis ponit, qui & ipse ad qualitatem ab eodem reducitur: differt autem negotialis hic status à iuridiciali tempore solum, iuris enim utrique sunt: itaque non erit admodum diuersa Hermogenis sententia ab ea Ciceronis in Topicis, qui etiamsi huiusmodi diuisionem non attulerit, in deliberationibus tamen, cum aliquid de utilitate, honestate, æquitateq; differitur, deq; iis, quæ his sunt contrariæ, status aut iuris, aut nominis docet incurrere. Coniecturalem autem statum in sententiis dicendis tunc oriri, cum aut futura, aut facilia persuadentur, aut negantur ea, quæ aut omnino fieri non possunt, aut non sine summa difficultate, admonet Cicero in Topicis ibidem. Sed de his, quæ ad rem subiectam pertinent, satis ferè diximus. illud autem nostræ institutæ scriptionis, & temporis uidetur esse, ut ad auditores sermonem nostrum conferamus.

Auditorem autem populum esse, concionis nomen declarat, concionis uero in Atheniensi republica tanta erat potestas, ut eius arbitrio uni *De auditore.*

uersæ fere reipublicæ administratio permissa esse uideretur. huic enim & legum, & sacrorum, & magistratuum, belli pariter, ac pacis, præmiorum etiam, & honorum, necnon & aliquorum iudiciorum ius fuit. cui tamen & Quingentumuirum, & Areopagitarũ senatus præpositus erat, nimirum ut his duabus quasi anchoris ipsa fluctuans regeretur. quare ut etiam in aliis quamplurimis reip. institutionibus, sic & in hac similis Atheniensis resp. nostræ uidetur esse. siquidem illorum concio nostris comitiis, senatus Quingentumuirum senatui Rogatorum, atque Areopagitæ Decemuiris comparari optime possunt. quibus omnibus consiliis, ut etiam apud nos, sui singulis præfecti instituti erant. de horum autem republica pulcherrimus extat Xenophontis libellus, multa etiam reperiuntur apud Aristotelem libro secundo Politicorum, atque Plutarchum in Solone: at diligentius, exquisitiusque Carolus Sigonius Romanæ æque, atque Græcæ antiquitatis Pater quatuor libris eius iura persecutus est. nostræ uero diuina instituta uir diuinus Gaspar Contarenus Cardinalis diuinitus aperuit, & explicuit. Quod uero ad Atheniensis reip. populi conditionem spectat, ipsum quidem ingenio, doctrina, iudicio,

cio, atque eloquentia inter ceteros plurimum ualuisse, Ciceronis, antiquorumq; omnium scripta loquuntur. ut autem & ad iram, & ad misericordiam procliuis, natura suspicax, comitate ridiculorum, & iocorum delectatus fuerit, ac laudis propriæ studiosus, nec tamen obiurgationem indignatus sit, de humanitate item eius, & clementia, plura sunt apud Plutarchum in Præceptis politicis, quorum etiam omnium, & plura exempla, testimoniaque afferuntur. ac de iisdem singulis illum & in Demosthenis, & in Thucydidis, aliorumque græcorum oratorum concionibus aliquando accusari, aliquando uero laudari sæpissime uidemus. Respublica uero Atheniensis eo tempore, ut ex Thucydidis, Xenophontis, Plutarchique horum temporum monumentis perspicitur, populari statu regebatur. Quare cum oratio omnis ad auditorem referatur, auditorum autem status, natura, ingeniumque, ut ubique Aristoteles, Plutarchus eodem loco, & sæpius Cicero præcipiunt, diligenter cognoscenda, atque inspicienda sint, ad quæ deinceps omnis nostra oratio accommodanda est, iccirco hæc breuiter, strictimq; attigisse ab huius nostri sermonis officio uisum est non abhorrere. Nunc quoniam similitudine res facilius

lius percipiuntur, est intelligendum, huic orationi similem magna ex parte illam Annibalis esse ad Antiochum apud Liuium libro trigesimo quinto. simillima uero, uel si artem, uel si materiem spectes, est concio Archidami Lacedæmoniorum regis hoc eodem Thucydidis libro.



ΔΗΜΗΓΟΡΙΑ

ΤΟΥ ΠΕΡΙΚΛΕΟΥΣ ΤΟΥ ΤΩΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ Στρατηγοῦ ἐκ τῆς πρώτης τοῦ θουκυδίδου ξυγγραφῆς

ΤΟ ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.



ΗΣ μὲν γνώμης ὦ ἀθηναῖοι ἀεὶ τῆς αὐτῆς ἔχομαι, μὴ εἴκειν πελοποννησίοις: καίπερ εἰδὼς τοὺς ἀνθρώπους οὐ τῇ αὐτῇ ὀργῇ ἀναπειθομένους τε πολεμεῖν, καὶ ἐν τῷ ἔργῳ πράσσοντας, πρὸς δὲ τὰς ξυμφορὰς καὶ τὰς γνώμας τρεπομένους. ὁρῶ δὲ καὶ νῦν ὅμοια, καὶ παραπλήσια ξυμβουλευτέα μοι ὄντα. καὶ τοὺς ἀναπειθομένους ὑμῶν δικαιῶ τοῖς κοινῇ δόξασιν, ἢν ἄρα τι καὶ σφαλώμεθα, βοηθεῖν, ἢ μηδὲ κατορθοῦντας τῆς ξυνέσεως μεταποιεῖσθαι: ἐνδέχεται γὰρ τὰς ξυμφορὰς τῶν πραγμάτων οὐχ ἧσσον ἀμαθῶς χωρῆσαι, ἢ καὶ τὰς διανοίας τοῦ ἀνθρώπου: διόπερ καὶ τὴν τύχην, ὅσα ἂν παραλόγως ξυμβῇ, εἰώθαμεν αἰτιᾶσθαι.

CONCIO

Periclis Prætoris Athenienſium ex libro primo hiſtoriarum Thucydidis.

Prooemivm.



IVSDEM *adhuc ſententiæ ſum Athenienſes Peloponneſijs cedendum non eſſe: quanquam non ignoro non eadem ira homines ad bellum impelli, atque in ipſo ſe negotio gerere, verum pro euentibus ſententijs variari.*

riari. video autem & nunc simile mihi, atq; par consilium esse dandum. Postulo autem à vobis, quicunque in meam sententiam vene ritis, communibus decretis, si qua in re lapsi fuerimus, opem ferre, aut, si recte rem gesserimus, prudentiam vobis non asciscere; accidit enim rerum euentus non minus temere, quàm hominum consilia succedere; itaque in ijs, quæ præter rationem ceciderunt, fortunam accusare soliti sumus.

Quatuor sunt, quæ orator in conficienda oratione præstare solet; primum rem ipsam, de qua est illi dicendum, diligenter considerat, ad quam etiam caussæ genus, & statum, & sui, auditorisq; personam refert. deinde omnem in argu mentorum, affectuum, & morum copia paranda operam ponit. tertius est labor in inuentione, & selectione uerborum, ut ea aperte, ornateq; dicat. ad extremum, hæc omnia ordine, locoque disponit. Quare si oratorum in struendis orationibus consuetudinem nos in eisdem obseruandis, explicandisq; imitari uellemus, consequens esset, ut post ea, quæ de re, personisq; huic orationi subiectis diximus, de fide, elo-

elocutioneq; huius orationis exponeremus. id quod non ita tamen, ut illis, nobis faciendum est: nam cum hæc in perpetua oratione, sicuti sanguis in corpore, fusa sint, ut quæque ex arte adhibita fuerint, ita à nobis suis locis singula, præsertim uero, quæ inuentionis erunt, notabuntur. interim de partibus orationis loquamur. Quemadmodum igitur nihil est, quod ordine, & dispositione oratori utilius, magisque necessarium sit, sic nulla est res in tota oratoria facultate, de qua difficilius certa, & definita præcepta tradantur. nam cum oratoris finis, animusque ad unum oratorem referatur, mirum est, quàm multis, & diuersis modis ipsius gratia dispositio sæpius uarianda sit. Vnde non solum de numero, sed etiam de ordine harum inter se orationis partium magna inter rhetores dissensio orta est, qui cum in reliquis fere omnibus discrepent, in hoc tamen omnes consentiunt, ut duæ præcipuæ, & cuiuis orationi in primis necessariæ partes sint; una, qua res, de qua dicendum est, proponatur; altera, qua res illa demonstretur, quarum illa propositio, hæc uero fides ab Aristotele appellatur; reliquæ uero, quæ, quot, qualesque sint, omnes, pro ut tempus, locus, occasioque postulat, oratoris ar-

bitrio permittuntur. Atque his etiam duabus tantum partibus præſens hæc noſtra oratio continetur; idque iure; nam cum reliquæ orationis partes ad corruptelam auditoris referantur, in genere quidem deliberatiuo eò quòd auditor, ut tradit Ariſtoteles in procemio Rhetoricorũ, propriis de rebus iudicat, minus ſuppetit extra rem dicere, uerũ nihil aliud fere opus eſt, quàm demonſtrare ita rẽ ſe habere, ut ait ille, qui conſulit. Quin etiam eiuſdem exordium non nimis apparatum, exornatumq; eſt, quale eſt in ſuaſionibus Demoſthenis, & Ciceronis. huius rei duæ ſunt cauſſæ: una, quòd ex Ariſtotelis ſententia, Ciceronis, & Quintiliani deliberationes ferè exordio carent, aut non admodum magno inſtructæ ſunt; altera, quòd diuerſa eſt ratio concionum earum, quæ in hiſtoriis interpoſitæ ſunt, atque illarum, quas ſcriptas nobis uel Demoſthenes, uel Cicero reliquerunt: in his enim omnia orationis ornamenta ſe effundunt, in illis parcius omnia attinguntur. ſed tamen quoniam abrupto initio non eſſe utendum docet Quintilianus, atque Ariſtoteles, quia quæ eo prædita non ſunt, abrupta uideantur; propterea ratio quædam tenenda eſt, ne undelibet incipiamus. Ariſtoteli autem placet, *rationem exordiorum*

in

in suasionibus peti debere à iudicialibus caussis, ut aut à nostra, aut ab eius, qui dissentiat persona ordiamur, nisi ipsi rem tantam iudicent, quantam uelis, aut maiorem, uel minorem, quàm uelis, ut aut crimen inferendum sit, aut diluendum, aut res augenda, aut minuenda. id quod in præsenti parte optime præstat Pericles. præter enim id, quod omnium proœmiorum proprium, ac necessarium munus est, uidelicet consilii sui explicationem, nil aliud agit, quàm quòd obiectiones, quæ forte afferri potuissent, depellit. in quibus etiam simul apparet, quomodo & ex moribus, cum prudentiæ, caritatis, fidelitatisque in suos ciues opinionem excitat, itemq; ex affectibus, cum iram mouet, fidem orationi suæ faciat. quibus omnibus attentionem, docilitatem, beneuolentiamq; sibi comparat apud auditores.

EIVSDEM ADHVC SENTENTIÆ SVM ATHENIENSES PELOPONNESIIS CEDENDVM NON ESSE. Breuissime, ac paucis uerbis statim à principio sententiam suam, ut rhetores omnes docent esse faciendum, explicat, quæ sanè hæc est. Cum Lacedæmonii partim, ut diximus, Corinthiorum, reliquorumq; Peloponnesiorum, atque sociorum precibus fatigati, partim uero, idque in primis metu, atque inuidia adducti, quod adeo cresceret Atheniensium po-

tentia, tres ad Athenienses legationes misissent, ea, quæ in argumento commemorauimus, imperantes, aliter bellum illis denuntiantes, Pericles illorum mandatis non obediendum, neque Peloponnesiis cedendum, uerum bellum potius suscipiendum esse censet. His autem uerbis, dum de bello suscipiendo proponit, quod inter cetera, de quibus consulitur, maximum, grauissimumq; est, attētionem fortasse parere dicendū est. *Attenti enim*, inquit Aristoteles, *auditores rebus magnis, propriis, admirabilibus, iucundis fiunt*. Vnde Isocrates in oratione de pace, ex huius materiæ magnitudine aperte attentionem parat pluribus uerbis, & rationibus. Dum autem, de quo dicturus est, proponit, docilitatem etiam facit; quæcunque enim ad doctrinæ facilitatem spectant, ea omnia docilitatis propria sunt, ut τῆς εὐμαθείας nomen declarat. est autem ualde coniuncta docilitas cum attentione, id quod etiam admonet Cicero in primo de inuentione. *Et cum docilem facere uelis, simul attentum facias oportet, nam is maxime docilis est, qui attentissime est paratus audire.*

EIVSDEM ADHVC SENTENTIÆ. Prudentiæ simul cum sententiæ expositione opinionem excitat, id quod, ut præcipit Aristoteles initio secundi libri Rhetoricorum, maxime ualet

ad

ad fidem oratori comparandam, cum ab ipso inter ea, quæ moratam efficiunt orationem, primum numeretur. *Tres enim caussæ, inquit, existunt, propter quas præter demonstrationes oratori fides adhibeatur, prudentia, uirtus, & beneuolentia: siquidem fallunt in iis, de quibus dicunt, uel consilium dant, aut his rebus omnibus, aut aliqua harum, quia aut propter imprudentiam non recte id opinantur, aut recte opinantes propter improbitatem ea silent, quæ opinantur, aut prudentes, & probi sunt illi quidem, uerum parum beneuoli. quare, &c.* Est autem quemadmodum perturbationũ motus iudiciali, sic morata oratio deliberatiuo generi in primis accommodata. atq; ille quidem perorationis, hæc uero prooemii magis propria. itemque ille ad auditores, hæc autem ad oratorem refertur; quemadmodum & argumenta etiam ad ipsam præcipue rem accommodantur. quare hæc sola artificiosa, illa uero duo additamenta ab Aristotele esse iudicata sunt. De hac autem per mores fidei pariendæ ratione uarie, atque imperfecte fere ab omnibus traditum est. Cicero quidem in secundo de Oratore cum tres in dicendo rationes statuisset, unam conciliandorum hominum, alteram docendorum, tertiam concitandorum, per primam illam ea, quæ ad mores oratoris, & eius, pro quo, & in quem

dicit

dicit orator, pertinerent, intellexit: de qua tamen eo in loco pauca ſane præcipit, neque alibi, etiamſi eam quodammodo in Perfecto Oratore, atque in Partitionibus attingat, ipſius tractationem inſtituit. Hermogenes uero, quanuis de hac ſatis abunde tradiderit, ad elocutionem tamen eam ſolum totam accommodauit. Ariſtoteles autem de moribus tribus in locis in Rhetoricis præcepta dedit. nam & ab oratoris perſona iis, quos dixi, modis, ſermonem ducendo, & ad auditorum conditionem, naturam, ætatemque apte loquendo, fidem fieri; itemq; ex dicendi quodam ſuo genere orationem, quæ morata dicitur, formari, demonſtrauit. Inter ea uero, quæ ad proprios oratoris mores fingendos, fidemq; ei hoc pacto conciliandam pertinent, prudentia ſemper plurimum ualet, ac præcipue in conſilio dando; cum enim conſultatio in prudentia maxime, quæ humanarum actionum regula eſt, uerſetur, iis fere, quos huiuſmodi eſſe exiſtimamus, aſſentimur, quos autem imprudentes, imperitosque ducimus, ne rationibus quidem eorum firmiſsimis credimus. Prudentiam autem Periclem his uerbis præſeferre ea ratione dico; nam ſi præcipuum, ut docet in Ethicis Ariſtoteles, prudentis munus eſt, recte

con-

consulere, unde omnino prudens est ὁ βουλευτικός, recta autem consultatio eo quod circa singularia uersetur, experientia tantum fiat, sitque rectitudo, quæ secundum utilitatem ad quendam finem spectet, non ne summam ille prudentiam aliqua in re demonstrarit, qui de ea se iam recte consultasse ostendens, cum eam utilem, bonamque ratiocinando prius esse cognouerit, de eadem se iterum eodem pacto iudicare confirmet? præter constantiam enim, consilii firmitatem, & maturitatem, quæ præcipue in deliberationibus, ut in actionibus celeritas, ab Aristotele commendantur, ea de re in primis cognitio, & experientia summa declaratur. Quod si quis huic rationi celeberrimam illam sententiam opponat, *Sapientis esse mutare propositum*; ex ea in primis nostram sententiam confirmari respõdebimus. cum enim constantia, & firmitas in consiliis prudentiæ præcipua pars sit, aliquando tamen, quia circa ea, quæ euenire, & non euenire possunt, uersatur prudens (est enim hæc uirtus eius animi partis, quæ δοξαστική dicitur, perfectio) necesse sit pro rerum mutatione ita & sententias uariare, ideo, inquam, fuit hæc ratio in excusationem, & defensionem huius mobilitatis excogitata, ne forte inconstantia, leuitas, imprudentiaq;

tiaq; uideretur: ita ut exceptio quædam magis, quam regula prudentiæ existimanda esse uideatur. Quare in secundo etiam harum historiarum libro cum ciuitatem pestilentia inuasisset, idem Pericles se eiusdem adhuc sententiæ de nõ cedendo Peloponnesiis, belloque continuando esse repetit, populum autem ob leuitatem immutari. Et Annibal in ea concione, quam huic Periclis comparauimus, idem fere de se statim à principio significat. Sed quando, & quomodo aliàs hac eadem de re similis à Pericle sententia dicta est? non multis ante diebus, ut refert Thucydides hoc eodem libro. idem enim, cum primi Lacedæmoniorum legati, ut piaculum Mineruæ dilueretur, petentes Athenas uenissent, *cum esset, inquit, omnium potentissimus, ac reipublicæ princeps contradicebat in omnibus Lacedæmoniis, neque illis ut obediretur, permittebat, uerum ad arma excitabat Athenienses*. idem etiam, ut censet Plutarchus hac solum de caussa Corcyræis auxilium decernendum suasit. & Græcos omnes iam multis temporibus antea cum decreto quodam, tum uero per legatos solicitans ad suas partes uariis simulandis consiliis traducere conatus est. atque interim Lacedæmona quotannis decem talenta ad principes ciuitatis demulcendos mittere con

sue-

ſueuerat, à quibus non quidem pacem, ſed tempus, & commoditatem ſolum ad bellī apparatum impetraret.

PELOPONNESIIS CEDENDVM NON ESSE. Tacuit illud, *bellum eſſe ſuſcipiendum*, eo quòd belli nomen odium, metumq; contineat, eius autem loco dixit. *cedendum non eſſe Peloponneſiis*. id quod modeſtiæ, honeſtatisque plenum eſt. ſimulque uidetur & Athenienſes ad iram impellere, cum enim inter reliquas contumelias contemptus præcipue iræ concitatio ſit, apud eos præſertim, qui ſe magni faciendos eſſe exiſtiment, & cum iis in primis, apud quos in prætio, honoreq; eſſe uel ſoleant, uel deberent, nihil magis meo iudicio poterat in Peloponneſios Athenienſium animos commouere, quàm ſi quis ipſis Græciæ tunc, & potentia, & gloria principibus Peloponneſiorum pauperum ſcilicet & tenuium mandatis obtemperandum eſſe diceret. Sed quando in hunc locum nos deduxit oratio, ut ſuperius de moribus, ſic in præſenti de affectibus pauca quædam explicemus. Atque affectus quidem uariæ traditæ ſunt definitiones; nam Stoici uehementem incitationem, uel appetitionem rationis expertem uocant. Andronicus dicebat eſſe animi motum rationis exper-

tem ex opinione uel boni, uel mali cuiuſdam excitatum. Ariſtotelis autem ſententia, etſi nullibi illum perfecte uidetur definiſſe, ex iis tamen, quæ ſecundo Rhetoricorum, & Ethicorum dicit, ſic fortaſſe colligi poteſt. Affectum eſſe motum ab appetibili in appetitiuo excitatum ad perſequendum, aut fugiendum aliquid, quem uoluptas, aut dolor conſequitur. cum enim tres ſint animæ particulæ, ſiue potentiæ, uegetatiua, ſenſitiua, ratiocinatiua, affectus de quibus nunc loquimur, non uidentur ſpectare ad uegetatiuam, cum proprium huius munus ſit nutrire, augere, generare aliud ſibi ſimile, & omnino agere, ſiue facere, affectus uero, ut & nomen πάθος declarat, ſunt operationes paſsiuæ; item quia affectus habent uim cognoſcendi, omnes autem operationes uegetatiuæ ſunt ſine cognitione. nec ad ratiocinatiuam, cum affectus ſint operationes communes animæ, & corporis, ratiocinatio autem non ſit. relinquitur igitur affectus ſpectare ad ſenſitiuam, non tamen ſimpliciter, ſed ad eam, quæ nata eſt parere, & obedire rationi. à qua & in eo quoque ipſos differre exiſtimauit Plutarchus in libro de uirtute, quòd illa quidem ſimplicem facultatem ſignificet, at affectus ipſum actum, in quem iam erum-

pit facultas. Recte igitur dictum, affectum esse motum ab appetibili in appetitiuo factū, quem uoluptas, aut dolor consequitur. hæc enim minime affectus ipsa quidem sunt, sed affectus consequuntur. uoluptas quidem ex iucundi, dolor uero ex molesti perceptione. Atque de his quidem affectibus tractatio in primis pertinet ad Naturalem, pro ut sunt accidentia potentiæ animæ sensitiuæ; deinde ad Moralem, quatenus per uirtutem corriguntur; itemque ad Rhetorem, ut instrumentum fidei. Inseruiunt autem oratori, ut ait Aristoteles, quia diuersa faciunt iudicia, id quod euenit propter prauitatem rerumpublicarum, atq; auditorum, petunt enim eam animi partem, quæ rationis expers est. quare quemadmodum argumenta mentem persuadere, sic affectus appetitum cogere conantur: itaque Plutarchus argumenta amicis, affectus autem assentatoribus similes esse dixit. De his autem qui, quomodoq; oratori inseruiant abunde Aristoteles secundo Rhetoricorum, quare ut ad argumentorum inuentionem excogitauit locos, & propositiones proprias, sic & de affectibus eadem tradidit.

QVANQVAM NON IGNORO, &c. Præoccupatio: est autem hæc necessaria, immo uero,

ro, ut diximus, huius fere caussa utimur procemiis in concionibus; cum aut res, aut auditor, aut orator patitur obiectionem. His autem uerbis periculo illi medetur, quo fore prouidebat, ut populus Atheniensis, etiamsi tunc alacriter bellum suscepisset, non ita tamen fortiter, atq; constanter in ipso se gereret, sed ad belli casus opinionem immutaret, id quod certe populo, & Atheniensi in primis, ut in præfatione docuimus, familiare erat: id quod in hoc ipso bello, uel in primis Pericles expertus est: siquidem Athenienses statim grauibus belli incommodis afflictati in Periclem auctorem iram conuerterunt, eundemque mulctarunt. quod quidem etiamsi prospiceret Pericles, se tamen in eadem de bello, deq; non cedendo Atheniensibus sententia permanere affirmat. est enim sapientis, de iisdem eadem semper censere, optimi autẽ, atque amantissimi reip. suæ ciuis, publicam utilitatem populi opinioni, existimationique præferre, qualem Periclem fuisse, cum de illo loquemur, multorum testimonio comprobauimus. Ecce igitur quomodo his paucis uerbis, prudentem, probum, fideleq;, ac reipublicæ studiosissimum, amantissimumq; se ostendat. quibus omnibus modis fides comparatur, in primisq; beneuo-

neuolentia conciliatur, quæ quidem pertinet ad mores, ad affectus, atque ad munus procœmii; his enim omnibus modis beneuolentiam colligi ab Aristotele traditum est. Simulque etiam in his, dum & propriæ personæ conditio seruatur, & auditoris naturæ ratio habetur, alteris duobus modis, quos attuli, orationem moratam effici uidemus. Cum tot igitur bona hic occupationis modus contineat, factum est, ut is ab illustribus oratoribus sæpissime usurpatus fuerit. nam Demosthenes ille, à quo plura ex Thucydide expressa fuisse Halicarnasseus scripsit, hoc idem in prima Olynthiaca præstitit. *Ego uero quanquam illud non ignoro, sæpe uos non iis, qui sunt in culpa, sed his, qui postremi sententiam dixerunt, irasci, ubi quid ex sententia non euenerit; non tamen arbitror priuatæ incolumitatis ita habendam esse rationem, ut quicquam dissimulem, quòd è re uestra futurum esse ducam.* Similiterq; & in tertia Olynthiaca oratorem reipublicæ charitatem suauitati orationis, ac propriæ securitati anteponere debere ostendit, qua ratione, atque instituto in republica gerenda uti solitos fuisse Aristidem, Niciam, Demosthenem, atque Periclem affirmat. Idem adhuc repetit in oratione de Cheronesso, ubi etiam, qualis bonus ciuis, fortis orator, optimusq; consultor

esse

esse debeat, uberius demonstrat.

NON EADEM IRA HOMINES AD BELLUM IMPELLI, ATQVE IN IPSO SE NEGOTIO GERERE. Hac eadem ratione, atque sententia usi sunt legati Atheniensium ad Lacedæmonios à bello deterrẽdos hoc eodem Thucydidis libro. *At homines mouendis bellis præpostere faciunt, rem enim præcipiunt, quod erat posterius, ubi uero iam plectuntur, tum demum rationes attingunt*. Huius autem rei ratio reperitur in concione secundæ Corinthiorum apud Lacedæmonios, quæ huic ipsi Thucydidis historiæ inserta est. nempe *quia cum fiducia de futuris sentimus, cum timore autem in actione deficimus*. Itaque Pindarus. γλυκὺ δὲ πόλεμος ἀπείροισιν, ἔμπειρων δέ τις τάρβει προσιόντα νῦν καρδίᾳ περισσῶς. *Dulce bellum inexpertis, expertorum uero aliquis proxime accedens, id corde uehementer horret*. Quare apud eundem etiam Thucydidem in hoc primo libro Archidamus Lacedæmoniorum rex, cum bellum dissuaderet, ostendebat, *se, ac reliquos senes, eo quòd multorum bellorum periti essent, minime esse huiusmodi, ut ob imperitiam essent belli appetentes, idque bonum, securumque existimarent*. Est etiam huius mutationis illa caussa, quæ in his uerbis à Pericle uidetur innui, quia uidelicet bella plerunque, maximeq; à populo ira iubentur; at quæ ira decernuntur,

eadem

eadem cito deferueſcunt. *Ira* enim, ut inquit Horatius, *breuis furor eſt*. Quod autem nos iram expreſsimus, græce ὀργῇ legitur, ſunt tamen, qui ὁρμῇ legendum putent; atque ita impetu dicendum erit, quemadmodum etiam Liuius in concione Appii Claudii Tribuni militũ libro quarto exponit, qui non impetu, ſed perſeuerantia bella geri oportere conatur ſuadere. Erit autem impetus ſubitus, acerq; animi affectus ab ea animi portione, qua iraſcimur, impulſus. Verum apud auctores & ὁρμὴν ἀντὶ τῆς ὀργῆς, & ὀργὴν ἀντὶ τῆς ὁρμῆς uſurpari ſæpius reperitur.

VERVM PRO EVENTIBVS SENTENTIIS VARIARI. Id iis euenire ſolet, qui non ratione ſed caſu reguntur, huiuſmodi autem inconſtantes, imprudentes, popularesq; homines eſſe conſueuerunt. itaque Cicero pro Milone. *Hoc plerique facimus, ut conſilia euentis ponderemus; & cui bene quid proceſſerit, multum illum prouidiſſe, cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicamus*. Et in Epiſtolis familiaribus. *Totius facti tui iudicium non tam ex conſilio, quàm ex euentu homines ſunt facturi*. Sed apud omnes ferè auctores, atque in ſapientum omnium ſermone vulgata hæc ſententia eſt. vnde illud tritum. *Exitus acta probat*. Eſt autem hæc actionum iudicatio ab euentibus ſimilis ei demonſtrationi,

quæ in rerum cognitione inquirenda à signis, & effectibus, posterioribusque petitur; quare ut hæc imperfecta, tenuis, atque sine caussa ratio dicitur, ita & illud uulgare, imbecillumque iudicium existimandum erit.

Video avtem simile mihi, atqve par consilivm esse dandvm. Explicat adhuc magis sententiæ suæ perseuerantiam, eamque magis ad ipsos auditores, & ad consultationem accommodat.

Postvlo avtem a vobis &c. Quemadmodum superius statim sententia sua exposita, ad populum Atheniensem eius instabilitati occurrendo se conuertit, sic etiam nunc consilio suo explicato, ad illos, qui eius opinioni suffragati fuerint, secumque de bello suscipiendo senserint, se confert. atque ab his petit, ut aut hanc communem sententiam quæcunque accidant, seque simul, qui cum eis eiusdem de bello decreti auctor fuerit, defendant, aut neque laudis, si recte res succedat, se participes faciant: æquum est enim, ut & in mercium societatibus, sic in iis omnibus, quæ in fortunæ potestate sunt, & boni, & mali, & laudis, & probri pariter omnes participes esse. quare cum humanarum rerum, bellique in primis euentus à fortuna,

na, ut & omnia hominum consilia, pendeant, ergo merito ex iis omnes, quicunque ab initio huius belli id secum probarint, eandem etiam usq; ad illius finem iudicii sortem subire debebunt. Ad huiusmodi etiam difficultatem similiter & Diodotus apud eosdem Athenienses respondēs harum historiarum libro tertio, liberam cuique ad consulendum facultatem oportere esse iudicat; ita ut is, cui res ex sententia euenerit, honore quidem afficiatur, neque is tamen, cui minus successerit, iccirco ignominiam patiatur. contra quod Athenienses facere solitos fuisse dicit, consulentium enim suasio legibus tenebatur, populi autem auditio libera erat; cum tamen eadem, qui suasissent, atque ii, qui laudassent pœna plectendi esse uiderentur. *Nihil enim,* ut etiam in Antonium attulit Cicero, *differt inter suasorem facti, & probatorem.* Quare etiam in secunda eiusdem scriptoris historia Pericles, immerito se, cui de suscipiendo bello omnes assensi fuerant, quia aduersi aliquid cecidisset, eius culpam sustinere conqueritur. haud enim id suo merito euenisse, ait, nisi, si quid etiam boni non ratione, sed casu euenisset, id sibi assignandum esse iudicassent. quare cum ipsum reprehenderent, non solum illos se eius belli auctorem, sed

& se ipsos quoque, qui ea de re assensi essent, accusare commemorat. Cum igitur hæc ita se habeant, prudentissime sanè Periclem hac in parte agere dicendum est. Siquidem etiam nihil magis ad prudentem spectat, quàm fortunæ temeritatem cognoscere. itaque uidemus his sententiis sapientum omnes orationes refertas esse. ueluti Fabius Maximus, qui in sapientiæ laude, ut etiam in ceteris, Pericli similis fuit, cum Scipionem à traiectione in Africam dissuaderet, non solum, quàm uaria esset fortuna, sæpius admonet, sed etiam quæcunque aduersa euenire potuissent prospicit. Scipio etiam ad Annibalis petitionem pacis respondens, nihilominus de fortunæ temeritate plurima dicit, eaque sibi nota, atque perspecta esse demonstrat. Verum hæc oratio non solum in hac, sed in reliquis omnibus partibus, mirum est, quàm grauibus exquisitisque sententiis abundet. sententiæ uero prudentiam maxime præseferunt, moratamque admodum efficiunt orationem, dummodo ab idonea persona pronuntientur, ueluti à senibus, prudentibusque uiris, qualis erat, & habebatur inprimis Pericles. Est igitur etiam in hoc generis, habitusque oratoris, id quod Aristoteles ait moratam orationem reddere, ratio seruata.

Pruden

PRVDENTIAM VOBIS NON ASCISCERE. Videlicet tanquam auctores eius consilii, prudens enim, ut diximus, est, qui recte consulit, consulimus autem de futuris. quare hi prudentes, tanquam qui iam à principio recte de hoc bello consilium dederint.

ACCIDIT ENIM RERVM EVENTVS NONMINVS TEMERE, QVAM HOMINVM CONSILIA SVCCEDERE. Theognides hanc eandem expreßit sententiam his uersibus.

Πολλάκι παρὰ δόξαν τε καὶ ἐλπίδα γίγνεται εὑρεῖν
Ἔργ᾽ ἀνδρῶν, βουλαῖς δὲ οὐκ ἕπεται τὸ τέλος.

Cicero in Philippicis; *Incertos exitus eße belli, martemque communem.* Virgilius

Hic magnus sedet Aeneas secumque uolutat
Euentus belli uarios.

Demostenes ad epistolam Philippi. *Magna est uis in fortuna ad omnes res mortalium, uel ea potius omnia sibi uendicat.* Thucydides hoc eodem libro Athenienses admonentes Lacedæmonios facit; ut in bello, quam multa improuisa accidant, priusquam id suscipiant, prospiciant. Similiterque & Annibal ad Scipionem sic loquitur. *Cum tuas uires, tum uim fortunæ, martemque belli communem, propone animo, utrinque ferrum, corpora humana erunt,*

nusquam minus, quàm in bello, euentus respondent. Quin etiam inquit Sallustius in epistola ad Cæsarem. *Sæpe praua magis, quàm bona consilia prosperè eueniunt, quia plerasque res fortuna ex libidine sua agitat.*

ITAQVE IN IIS, QVAE PRAETER RATIONEM CECIDERVNT, FORTVNAM ACCVSARE SOLITI SVMVS. Probatio hæc est sententiæ superioris, probat autem eam ab auctoritate, atque à communi hominum consensu. cum enim homines, quoties aliquid præter rationẽ, consiliumque suum accidit, eius rei caussam fortunæ attribuant; illud ipsum quod dictum est, nempe consiliorum, rerumque euentus temere, casu, fortuitoque plerunque accidere, fatentur. Est autem hæc argumentatio à Signo; de quo & in principio Rhetoricorum, & in fine Priorum Analyticorum Aristoteles tradidit. Huiusmodi autem demonstrandi modus cum apud oratores sæpe in usu reperiatur, Aristoteli tamen in primis familiaris est, quorum inter reliquos notissimi illi loci sunt à principio Ethicorum Nicomachiorum. *Itaque bonum id esse opinantur, quod omnia appetunt.* & à principio Rhetoricorum. *Itaque omnes homines utriusque quodammodo participes sunt.* Quibus omnibus in locis animaduertendum est, illud (itaque) quod apud

Græcos

Græcos eſt διὸ uel διότι aliquando, & ſæpius cõclusionis, aliquando uero & probationis, idque à ſigno inditium eſſe. nos autem conuertimus (itaque) eo quòd hanc particulam in eodem apud Latinos auctores, Ciceronemq; præſertim uſu ferè ſemper eſſe obſeruauimus.

IN IIS, QVAE PRAETER RATIONEM CECIDERVNT, FORTVNAM ACCVSARE. Hæc ſingula ab Ariſtotele confirmantur ſecundò Phyſicorum, *etenim dicere*, inquit, *fortunam eſſe quid præter rationem rectè dicitur*. Nam ſi ratio eſt tantum in iis, quæ ſemper eodem modo fiunt, aut plerunque, cum fortuna non ſit nec in iis, quæ ſemper, neque plerunque, ſed in iis, quæ raro, ergo patet fortunam non eſſe cum ratione, ſed præter rationem. Itemq; ſi fortuna eſt cauſſa (ut philoſophi dicunt) per accidens, cum cauſſæ per accidens ſint indeterminatæ, & cauſſæ indeterminatæ ſint præter rationem: ergo manifeſtum, fortunam eſſe præter rationem. præter rationem autem ibidem & παράλογον dicit Ariſtoteles, id quod græce per aduerbium παραλόγως expreſsit Thucydides, ſuperius autem in concione Athenienſium παράλογον τοῦ πολέμου dixit. Cum autem inquit Pericles, quòd fortunam accuſare ſoliti ſumus, utpote cauſſam, intelligendum eſt: eſt

enim

enim fortuna caussa per accidens in iis, quæ secundum electionem, eorum (scilicet) quæ gratia alicuius.

ΠΙΣΤΙΣ.

Λακεδαιμόνιοι δὲ πρότερόν τε δῆλοι ἦσαν ἐπιβουλεύοντες ἡμῖν, καὶ νῦν οὐχ ἥκιστα: εἰρημένον γὰρ δίκας μὲν τῶν διαφορῶν ἀλλήλοις διδόναι, καὶ δέχεσθαι, ἔχειν δὲ ἑκατέρους, ἃ ἔχομεν, οὔτε αὐτοὶ δίκας πω ᾔτησαν, οὔτε ἡμῶν διδόντων δέχονται. βούλονται δὲ πολέμῳ μᾶλλον, ἢ λόγοις τὰ ἐγκλήματα διαλύεσθαι, καὶ ἐπιτάσσοντες ἤδη, καὶ οὐκ ἔτι αἰτιώμενοι, πάρεισι: ποτιδαίας τε γὰρ ἀπανίστασθαι κελεύουσι, καὶ αἴγιναν αὐτόνομον ἀφιέναι, καὶ τὸ μεγαρέων ψήφισμα καθαιρεῖν, οἱ δὲ τελευταῖοι οἵδε ἥκοντες καὶ τοὺς ἕλληνας προαγορεύουσιν αὐτονόμους ἀφιέναι.

FIDES.

Lacedæmonij igitur cum antea nobis insidias facere apparebant, tum uero nunc non minime: cum enim cautum sit, ut controuersiarum inter nos iudicia demus, atque accipiamus, teneamus autem utrique, quæcunque tenemus; neque ipsi dum iudicia postularunt, neque nobis dantibus accipiunt. bello uero, quam uerbis crimina diluere malunt. iam vero imperantes, neque amplius accusantes adsunt, etenim à Potidæa recede-

re

re iubent, & Aeginam liberam dimittere, & Megarensium decretum tollere; hi vero, qui extremi huc venerunt, etiam Græcos denuntiant suis legibus uti permittere.

Proposita sententia sua, criminationibusque depulsis, iam ad propositum probandum descendit. in quo reliqua omnis, ut in consultationibus ea, quam dixi, de caussa fieri plerunque solet, oratio consumitur. Ad quam partem cũ peruenerimus, quoniam fides, ut præcipit Aristoteles, ad demonstrandum aptas esse oportet, demonstrare autem opus est demonstratione ad id, de quo controuersia existit, afferenda, huius autem concionis controuersia omnis in honestate, necessitate, facilitateque posita est, propterea res postulare uidetur, ut qua ratione singulæ probationes inuentæ fuerint, demonstremus. Primum igitur docet Aristoteles libro secundo Rhetoricorum *animaduertendum esse oratori, de quo dicere, aut concludere siue ciuili, siue quocunque syllogysmo uelit; ut de eo teneat, quæ illi insunt, aut omnia, aut certe nonnulla*; quia ut tradidit Cicero in libris de Oratore, *nemo potest de ea re, quam non nouit, non turpissime dicere*. Huiusmodi autem esse ea præcipit Aristoteles, quæcunque de ea re incidere

dere poſſunt, eiusque rei propria, proxima, & opportuniſsima ſunt. itaque, de iis quidem, qui bus perſuadendum eſt, libro ſecundo, de iis uero, quæ ſuadere uolumus, & contra quos, libro primo de arte dicēdi præcepta tradit. Et hic quidem primus, & præcipuus locus eſt, unde orator magnam ſibi ad ſententiam ſuam probandam copiam parare ſolitus eſt. Altera uero ratio argu mentorum inueniendorum eſt ea, quæ oratoris propria eſſe dicitur. ut ſubiecti generis proprio ſibi propoſito fine, quid nam ille ſit, quot eius partes, & qualibus propoſitionibus, rationibusq;, & ſimpliciter, & comparate oſtendatur, di ligenter cognoſcat. Et quoniam ſæpe non minus is, qui cauſſæ proprius eſt, finis, quàm ii, qui ceteris generibus attributi ſunt, ad inſtitutum demonſtrandum proſunt, ſæpeque etiam de poſsibili, neceſſarioq; diſputatur, itemq; aliquid futurum, factumue eſſe demonſtrādum eſt, præterea uero magnitudinis ratio omnium eſt orationū communis; ideo & horum etiam cognitio, atque de his propoſitiones plurimas collegiſſe mirum in modum utile erit. de quibus quidem omnibus locis, quos formas, propriosque oratoris locos uocat, abunde ab Ariſtotele in Rhetoricis traditum eſt, de propriis quidem uniuſ-

cuiuſque

cuiusq; generis libro primo, de cõmunioribus uero libro ſecundo. Sed quoniam ex propriis his propoſitionibus non ita ſemper ad quæcunq; demonſtranda rationes nobis ſubito ſuppetere poſſunt, eſtque præterea hoc tardi ingenii, ut cenſuit Antonius apud Ciceronem in ſecundo de Oratore, itemque parum experti oratoris riuulos hos ſemper conſectari, propterea communiſsima alia adhuc quædam inueniendi ratio eſt ab oratoribus excogitata, locique quidam, ac ueluti fontes, domiciliaque argumentorum omnium reperta ſunt; quæ quicunque recte tenuerit, uſumque ipſorum diligenter perceperit, nulla res erit ex tota oratoria facultate ei propoſita, de qua non facile ex ipſis argumenta, rationesq; depromere poſsit. & hi quidem ab Ariſtotele elementa, locique proprie nuncupantur, quorum non ſolum in Topicis, uerum etiam in Rhetoricis diſciplinam tradit, atque his quidem oratorum omnis inueniendi ratio continetur. Hæc autem à me, quomodo ad eorum, de quibus in hac concione exiſtit controuerſia, demonſtrationem adhibita fuerit, quantum efficere, & conſequi potero, diligenter etiam, atque etiam explicabitur.

LACEDAEMONII IGITVR, &c. In hac pri-

ma suasionis parte Lacedæmoniorum actionibus consideratis, indeque plurimis insidiis, iniuriisque eorum repertis, ex his proposito sibi honestatis fine bellum ut honestum suscipiendū esse aggreditur suadere. Ratio igitur uidetur huiusmodi. Lacedæmonii sunt insidiatores, & inimici, contra insidiatores, & inimicos, honestum est bellum suscipere, honestum igitur bellum, quod contra illos suscipietur. Lacedæmonios insidiatores esse pluribus uerbis ab ipso demonstratur, & declaratur; altera propositio, ut in enthymematibus oratores facere solent, utpote nota auditori, qui eam per se ipse adiungat, prætermissa est. est autem uerissima, nam, ut ostendit Cicero pro Milone, *quoties in insidias incidimus, omnis honesta ratio est expediendæ salutis*. itaque & Archidamus rex apud Lacedæmonios, quibuscunque tenderentur insidiæ, omni ratione saluti consulendum, ultionemque parandam esse censebat. inimicorum enim, atque insidiatorum iniurias persequi & honestum, & laudabile est. nam ut Aristotelis in Rhetoricis testimonio confirmare possumus, *retribuere quidem iustum est, iustum autem honestum*. itemque quoniam ut apud eundem scriptum legimus, *fortis est non cedere*. atque etiam in Ethicis libro septimo,

τοὺς ἐπιβουλοτέρους ἀδικωτέρους, hoc est, qui magis insidiantur iniustiores esse iudicat. quare cum iustissimum sit insidiari, iustissimum igitur, atque honestissimum erit insidiatoribus obuiam ire. Est autem hæc ratio primo quidem ex Lacedæmoniorum persona accepta; nam ut præceptum est apud auctorem Rhetoricorum ad Alexandrum, ei, qui de bello consilium daturus est, nihil est aliud ferè, quod ad sententiam suam probandam magis prodesse posit, quàm si inimicorum iniurias, insidiasque studiose, & diligenter exposuerit. Deinde uero & ab honestatis fine colligitur. Honestatis autem finis, quanuis proprie laudatoribus ab Aristotele proponendus tribuatur, tamen & consultoribus eundem accommodatissimum esse vult. Cicero autem in secundo de Oratore, *In suadendo nihil est*, inquit, *optabilius, quàm dignitas, nemo est enim, præsertim in clara ciuitate, quin putet expetendam maxime dignitatem.* quam sentētiam sequutus Quintilianus, si unum ex his duobus sequi oporteret, potiorem honestatem utilitate in deliberationibus esse iudicauit, quid autem sit honestum, & quàm multis propositionibus id ostendatur, ab Aristotele copiose, atque diuinitus Rhetoricorum primo est demonstratum. Sed quæret fortasse quispiam,

piam, à quo nam communium locorum uniuersa hæc insidiarnm demonstratio deprompta sit? nimirum ex eo, qui de communi omnium propé rethorum sententia ab adiunctis appellatur. in quem locum ea omnia ferè, quæ de iis, quæ rebus, atque personis annexa sunt, adeo ut alterum ex altero plerunque consequi uideatur, incidere solent. itaque triplex hic à Cicerone in Topicis esse dicitur, quæritur enim, quid antè rem, quid cum re, quid post rem factum sit. ex quo patet ex hoc loco signa ea, quæ minime necessaria sunt, ueluti quæ in secunda figura concludũtur peti debere. nã necessaria, quæ τεκμήρια dicuntur, pertinent ad locos antecedentium, & consequentium. de quibus libro secundo Topicorum tradidit Aristoteles; hunc uero in Rhetoricis consequentis nomine signans tertiodecimo, ac quartodecimo loco complexus est, quo etiam nomine & Cicero in secundo de Oratore eundem ornauit, in Partitionibus uero uocauit coniuncta. Hunc autem locum esse ualde oratorium Cicero docuit in Topicis. Aristoteles autẽ & ad adhortandum, aut dehortandum, laudandumque, aut uituperandum valere in Rhetoricis affirmauit; vnde etiam Callipi ipsum artem paucis aliis adiunctis fuisse addit. Maxima

autem

autem huius loci auctore Boetho est. Adiuncta ex adiunctis perpendi. quare usurpari potest & ad confirmandum, & ad refellendum. Cum igitur hæc ita se habeant, hæc pars omnis in qua prauæ Lacedæmoniorum actiones, insidiæque ostēduntur, atque inde illis obuiam eundum esse suadetur, quæ omnia inter se coniuncta, & consequentia plerunque esse solent, ex hoc loco hausta esse manifestum est. Atque hi quidem loci sunt, quibus demonstrat Pericles. Ex huiusmodi autem locis suasionem belli peti apud omnes oratores tritum, & uulgare est. nam Demosthenes semper Philippi iniurias oratione persequitur. Corinthii hoc eodem libro de Atheniensibus conqueruntur, Stenelausque eos ulcisci iustissimum esse iudicat. Apud Liuium pulcherrimus est locus in concione Appii Claudii libro quinto contra Veios. *Septies repellarunt, in pace nūquam fidi fuerunt, agros nostros millies depopulati sunt, Fidenates à nobis deficere coegerunt, colonos nostros ibi interfecerunt, auctores fuere contra ius gentium cædis impiæ legatorum nostrorum. Etruriam omnem aduersus nos concitare uoluerunt, hodieque id moliuntur: res repetentes legatos nostros, haud procul abfuit, quin uiolarent.* In hac aūt parte Pericles mirabiliter in Lacedæmonios odiū concitat, dū enim eorum insidias explicat, ipsos

ipſos non ſolum inimicos, ſed & iniuſtos, acerbiſsimosque inimicos eſſe oſtendit. Hi autem maxime odio digni ſunt.

Cvm antea nobis insidias facere apparebant. *Antea*. Tempora ſuperiora à bello Perſico Xerſis uſque ad tricennalia fœdera uidetur intelligere, quæ nouem Olympiades complexa ſunt, quo temporis ſpatio Lacedæmonii, ne Athenienſes muros urbis reficerent, pro uiribus aduerſati ſunt, eoſdemque, cum cõtra Meſſenios ſibi in auxilium ueniſſent, ſine cauſſa dimiſerunt; qua de re indignati Athenienſes cum Argiuis, atque Theſſalis Lacedæmoniorum hoſtibus amicitiam iunxerunt, & Ithomenſibus exulibus receptis Naupacti ſedes dederunt, Megarenſesque inſuper contra Corinthios, atque ipſos Lacedæmonios defenderunt, ac rurſus Lacedæmonii Aeginetis Athenienſium rebellibus auxilium dederunt, & cum Thebanis etiam aduerſus illos ſocietatem inierunt, & paullo poſt, etiamſi quinquennale fœdus feciſſent, deficientibus tamen Megarenſibus, deindeque etiam aliquibus Eubœæ ciuitatibus opem tulere. Et hæ quidem fuerunt inter illos ſuperioribus temporibus ſimultates, atque inſidiæ, præcipueque à parte Lacedæmoniorum

rum, quæ quanuis non nominet, intelligere uidetur his uerbis Pericles.

TVM VERO NVNC NON MINIME: CVM ENIM &c. Prætermiſſa probatione, quod antea inſidias parauerint Lacedæmonii Athenienſibus, quomodo tunc, ideſt poſt fœderum tricennalium percuſsionem inſidientur, oſtendit. nempe quia nihil eorum, quæ in fœderibus icta ſunt, ſeruant, cum eorum tamen beneficio & periculis multis tunc liberati ſint, & oppida aliquot Athenienſibus ſint adempta, vnde cum ea modo non ſeruent, ipſos inſidioſe, fallaciterque illa feciſſe exiſtimandum eſt. merito igitur hac de cauſſa inſidiatores à Pericle dicuntur. ἐπίβουλοι enim ex βουλῆς, quod conſilium, & ἐπὶ præpoſitione, quæ contrarium, & inimicum quid ſignificat, compoſita eſt. Verum ut hæc clariora reddantur, de fœderibus tricennalibus pauca quædam explicanda ſunt. Cum Lacedæmonii Bœotorum, Eubœnſiumque cauſſa Atticam ingreſſi uaſtaſſent, atque ad Coroneam una cum Bœotis prœlio commiſſo Athenienſes cæſo etiam Tolmide ipſorum duce magna clade affeciſſent, Athenienſes autem Pericle duce Eubœam ſubegiſſent, utrique feſsi, at Lacedæmonii in primis, ut ciuitates quaſdam bello amiſſas recuperarēt,

fœdus

fœdus in annos triginta per Andocidem, ut inquit Thucidides, siue per Calliam & Charetem, ut Diodorus prodidit, huiusmodi percusserunt. Nẽpe ut pax esset per triginta annos inter Athenienses, atque Lacedæmonios, nec non & utriusque socios; redderent Athenienses Peloponesiis Nisæam, Achæam, Pegas, & Troezenem, reliqua uero omnia, quæcunque utrique possiderent, iure, libereque tenerent, nec inter eos, eorumue socios pugnare ius esset, sed controuersiarum inter se iudicia darent, atque acciperent; si quæ græcarum ciuitatum ex socialibus non esset, licere eis ad utros libuerit accedere. Cum igitur sic se haberent hæc fœdera, duo in ipsis nõ seruari à Lacedæmoniis accusat Pericles, quorum unum est ipsos iudicia nec postulare, nec accipere, alterum quod uelint ipsos liberas dimittere eas ciuitates, quas iis temporibus possidebant.

NEQVE IPSI IVDICIA POSTVLARVNT, NEQVE NOBIS DANTIBVS ACCIPIVNT. Hæc est una fœderum uiolatio, de qua Lacedæmonii à Pericle ut insidiatores accusantur, respondet autem hæc pars illis uerbis, *ut controuersiarum inter nos iudicia demus, atque accipiamus.* Postulauerant autem, atque promiserant, se daturos iudicia

ciá Athenienſes Lacedæmoniis iam à principio, nempe ii legati, qui Corinthiis querentibus de Athenienſium iniuriis apud Lacedæmonios reſponderunt hoc eodem Thucydidis libro; & aliàs ſemper dum de Corcyræorum auxilio dato, Potidææque obſeſsione accuſarentur. Poſt hanc etiam Periclis concionem ſic ex eius ſententia Lacedæmoniorum legatis reſpondiſſe Athenienſes ſcribit Thucydides, *ſe iudicio ſecundum fœdera promptos eſſe crimina diluere ex æquo, & pari*. Lacedæmonii autem ne uerbum quidem de iudicio fecerunt, neque illos poſtulantes audire uoluerunt, ſed, niſi ſuis mandatis obedirent, bellum ſtatim denuntiarunt.

BELLO VERO, QVAM VERBIS CRIMINA DILVERE MALVNT. Immoratio, ſiue per alia clariora uerba repetitio, & explicatio eius, quod dictum eſt; aperit enim adhuc magis animum, & conſilium improbum, inſidioſumque Lacedæmoniorum; cum enim ſic inſidientur, manifeſtum eſt ipſos bellum cupere. Simul autem & belli neceſsitatem his uerbis uidetur attingere, bellum enim eſt neceſſarium contra eos ſemper, qui, ut ſæpe ait Demoſthenes, non optionem faciunt, bellum ne, an pacem accipiamus. Sic neceſsitatem belli oſtendebat Philip-

pus in oratione ad Senatum, quæ est apud Salluſtium libro primo hiſtoriarum. *Nam bellum, atq; arma quanquam uobis inuiſa, tamen quia Lepido placent, ſumenda ſunt, niſi forte cui pacem præſtare, & bellum pati conſilium eſt*. Similem habemus ſententiam in hac eadem hiſtoria à Corcyræorum legatis expreſſam his uerbis. *Bello magis, quàm æquitate uoluerunt crimina perſequi*. Et apud Liuium libro trigeſimo quarto in concione Minionis legati Antiochi. *Si ex æquo diſceptatur, & non belli cauſſa quæritur*. Odium autem creat Lacedæmoniis, belli illos cupidos, atque ſtudioſos eſſe demonſtrans, quod quidem nemo, niſi ſanguinarius prorſus, expetit, ut inquit Ariſtoteles libro decimo Ethicorum. Homerus autem in huiuſmodi homines ſic inuehitur.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος,
ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.

Verum huiuſmodi ſemper fuit Lacedæmoniorũ ingenium ad bellum propenſum; ad quod etiã præcipue inſtituta uidebatur eſſe eorum reſpublica, qua quidem in re reprehenditur quoque ab Ariſtotele libro ſecundo Politicorum. *Lacedæmonii ſalui erant bellum gerentes, peribant autem, ubi rerum potiti eſſent, quoniam nec otium agere, nec quicquam aliud exercere ſciebant præſtabilius, quàm rem militarem.*

Itaque etiam Plutarchus in Lycurgo bellum illis quietem esse solitã fuisse cõfirmat, id quod non mirum, siquidem, ut etiam Laches apud Platonem testatur, *Lacedæmoniis nihil aliud in omni uita curæ erat, quàm ita se in omnibus comparare, ut bello ceteros omnes exuperarent.*

IAM VERO IMPERANTES, NEQVE AMPLIVS ACCVSANTES ADSVNT, ETENIM A POTIDÆA RECEDERE IVBENT &c. Altera hæc est fœderum uiolatio, quia petunt, ut liberas dimittant eas ciuitates, quas tempore fœderis possidebant, id quod diserte contra fœdus est. hæc autem referuntur ad ea uerba, *teneamus autem utrique, quæcunque tenemus.*

IMPERANTES NEQVE AMPLIVS ACCVSANTES. Contraria hæc inter se sunt, illudque superioris, ac quasi tyranni, hoc uero æqualis, iustique est. siquidem æquales legibus subiecti sunt, atque ex iis ex æquo inter se, iudiciisque certant, at superiores pro libidine imperant, estq; eorũ uoluntas pro rõne, atq; iudicio, huiusmodi aũt erant Lacedæmonii in Athenięses, qui non iudicia postulabant, nec accipiebant, uerum bello cõgebant. Est igitur odii, iræ, inuidiæque plena oratio, odii uidelicet, quia iniusti, est enim eorum petitio contra fœdus, iræ, quia cõ-

I 2 temnunt,

temnunt, imperium enim, atque arrogantia maximus contemptus est; Postremo inuidiæ, dum Lacedæmonios pares, æmulosque ipsorum Atheniensium tantum sibi tribuere; & arrogare dicit, ut eis audeant uelle imperare.

A POTIDÆA RECEDERE, Potidæa Thraciæ ciuitas ad Isthmum Pallenes sita, quæ iamdiu Atheniensium socia, uectigalisq; erat: erat autem Corinthiorum colonia; qua de causa, ubi primum Athenienses Corinthios, eò quòd contra ipsos Corcyræis auxilium tulissent, suspectos, inuisosque habuerunt, & de his quoque dubitarunt, ipsis statim, ut murum, qui est uersus Pallenem demolirentur, & obsides darent, atque τὸς ἐπιδημιουργὸς Corinthiorum, (magistratus hoc nomen erat) quos ex consuetudine, iureque metropoleon quotannis accipiebant, dimitterent, imperarunt. Ob quæ Potidæatæ Corinthiorum, Perdiccæque in primis opera solicitati, & Lacedæmoniorum promissis confisi ab Atheniensibus unà cum Chalcidensibus, Bottiæisque defecerunt. Sed cum ab Atheniensibus in ipsos classis, exercitusque missus esset, prœlio commisso simul cum Corinthiis, ac ceteris, qui sibi auxilio uenerant, fusi, fugatique sunt. unde ab Atheniensibus deinceps terra, marique eorum ciui-

tas uehementer obsideri, oppugnarique cœpta est. quæ res cum solicitos haberet Corinthios, inter cetera, de quibus apud Lacedæmonios querebantur, hoc erat, utque ab Atheniensibus peteretur, ut ab obsessione recederent, summis præcibus contenderunt. id quod per secundam Peloponnesiorum legationem flagitatum etiam fuit. Sed cum post hæc bellum aperte tota Græcia exortum esset, Potidæatæ inter alios urbe, agrisque ab Atheniensibus spoliati sunt. cuius rei magna deinceps Athenienses infamia notatos fuisse refert Aristoteles secundo Rhetoricorum. at Isocrates in Panegyrico ipsos & ab hoc, & ab aliis etiã multis criminibus defendere conatur.

AEGINAM LIBERAM DIMITTERE. Aegina insula est non longe ab Athenis; hi à Cimone anno primo septuagesimæ nonæ olympiadis subacti fuerant, deinde uero cum Corinthiorũ opera defecissent, prœlio maritimo à Leocrate superati sunt, & paulo post tributum pacti deditionem fecerũt anno quarto octuagesimæ olympiadis, quæ septima fuit ante eam, qua hoc bellũ cœptum est. hi autem, cum à Corinthiis Lacedæmona sociorum omnium conuentus indictus esset Athenienses accusandi caussa, & ipsi nõ quidem palàm, ut scribit Thucydides, legatos mi-

serunt,

ſerunt, Athenienſes ueriti, ſed occulte, atque per alios bellum procurarūt, conquerentes quod non eſſent liberi ſecundum fœdera. Sed & ipſi, ubi bellum aperte ſuſceptum eſt, Periclis decreto patria, bonisque omnibus exuti ſunt, quorum ager ab eodem Pericle Athenienſi populo, ut eum in peſtilentia conſolaretur, diuiſus eſt. quibus Lacedæmonii Thiream, eiuſque agrum incolendum dederunt. Ariſtoteles, ubi de facetiis loquitur, Periclem Aeginam lippitudinem Piræei tollendam dixiſſe refert, idemque & ex hoc æque atque ex Potidæa infamiam ipſos reportaſſe libro ſecundo de arte dicēdi ſcriptū reliquit, in quo & à Cicerone etiam reprehendūtur; qui in tertio de officiis ſic ait. *Durius etiam Athenienſes, qui ſciuerunt, ut Aeginetis, qui claſſe ualebant, pollices præciderentur*. Defenduntur autem ab Iſocrate.

MEGARENSIVM DECRETVM TOLLERE. Megara eſt ciuitas in Megarenſi ora, quæ Atticæ contigua eſt. Hi primo cum Lacedæmoniorum ſocii eſſent ab ipſis ad Athenienſes defecerunt, à quibus ſimul cum ciuitate recepti ſunt; id quod in cauſſa fuit, ut Athenienſes in bellum Corinthium inciderent, & ut ſocietas Græcorū tunc primum poſt bellum Perſicum Xerſis diſ-

ſolueretur.

soluerentur. Deinde uero cum rursus ab Atheniensibus ad Lacedæmonios occisis eorum custodibus defecissent, caussam iterum attulerunt, ut quinquennalia fœdera dissoluerentur. Quare & hac de caussa, & aliis compluribus, & in primis, quod sacrum solum Atticæ contiguum colerent, quodque exules Athenienses reciperent, in maximo semper odio deinceps fuerunt Megarenses apud Athenienses, qui etiam decretum quoddã, quod ut nullo pacto deleri posset iubebatur, instituerunt, quo illos portubus omnibus Atheniensis imperii, atque Attico foro prohibebant: cuius rei gratia, cum se una cum Corinthiis, Aeginetis, aliisque Lacedæmoniorum sociis Lacedæmona cõquestum profecti essent, ut de ipsis in primis Lacedæmoniorum legati quererentur, impetrarunt.

HI VERO QVI EXTREMI VENERVNT. Idest tertio, tres enim, ut diximus legationes à Peloponesiis Athenas missæ sunt, hocque ultimi petierunt tantum, ut liberæ Græcæ omnes ciuitates essent: id quod fortasse eo consilio ab iis factũ est, ut, quoniã ex superioribus legationibus minime sibi cessuros Athenienses cognouerant, quare bellum certum fore prouidebant, hoc pacto Græciæ sibi populorum omnium animos concilia-

conciliarent, ad ſuasque partes traherent, atque ſubiectas, tributariasque Athenienſium ciuitates ad defectionem impellerēt, aque omnino ut cauſſam ſuam honeſtarent, Athenienſiumque turpem redderent; id quod etiam ex iis, quæ ab initio ſecundi libri tradit Thucydides, confirmari poteſt, qui hac de cauſſa Græcarum ciuitatum multo plures in Lacedæmonios, quàm in Athenienſes propenſas fuiſſe ſcribit. Hoc autem & ab aliis ſæpius factum fuiſſe in hiſtoriis legitur. Nam & Athenienſes bello contra Aſiæ regem ſimulato, & per ſpeciem tuendæ Græciæ, hoc pacto plures ſuperioribus annis ciuitates ſubiecerant. atque Lacedæmonii deinceps idem, eodemque ferè pacto fecerunt. Quin etiam Romani etiamſi ulciſcendarum iniuriarum, ſociorumq; defendēdorum cauſſam bellorum prætenderent, tamen re uera nil aliud, quàm imperiū, dominatumque quærebant. Cuius rei aperte accuſantur à Minione Antiochi legato apud Liuium libro trigeſimo quarto. *Specioſo titulo uti uos Romanos, Græcarum ciuitatum liberandarum, uideo, ſed facta ueſtra orationi non conueniunt*. Noſtrique præterea temporis huiuſmodi generis exempla plurima, & quidem illuſtria poſſent afferri.

GRÆCOS SVIS LEGIBVS VTI PERMIT-

tere. Etenim Athenienses post bellum Persicum Xersis usq; ad hoc tempus cum mari potirentur, multas sibi ciuitates Græcas tributarias, subiectasque fecerant uariis prætextibus, in primis autem, ut refert Thucydides, quia tributum communis libertatis tuendæ gratia omnibus impositum, cuius in Delo ærarium constitutum erat, non penderent, cum contra tamen Lacedæmonii facerent, qui se Græciæ liberatores profitentes, nihil aliud procurabant, nisi, ut Græcæ ciuitates à paucis gubernaretur. Hanc autem Atheniensium maculam Aristoteles quoque in Rhetoricis attingit; uituperabantur enim ab omnibus Athenienses, quòd Græcos libertati natam gentem seruire sibi coëgissent, eosque, qui cum ipsis in bello contra Barbaros steterant, & in eo strenue, fortiterque se gesserant, sedibus suis exturbassent.

Ὑμῶν δὲ μηδεὶς νομίσῃ περὶ βραχέος ἂν πολεμεῖν, εἰ τὸ μεγαρέων ψήφισμα μὴ καθέλοιμεν, ὅπερ μάλιστα προὔχονται, εἰ καθαιρεθείη, μὴ ἂν γίγνεσθαι τὸν πόλεμον, μηδ᾽ ἐν ὑμῖν αὐτοῖς αἰτίαν ὑπολίπησθε, ὡς διὰ μικρὸν ἐπολεμήσατε. τὸ γὰρ βραχὺ τοῦτο πᾶσαν ὑμῶν ἔχει τὴν βεβαίωσιν, καὶ πεῖραν τῆς γνώμης· οἷς εἰ ξυγχωρήσετε, καὶ ἄλλο τι μεῖζον εὐθὺς ἐπιταχθήσεσθε, ὡς φόβῳ καὶ τοῦτο ὑπακούσαντες, ἀπισχυρισάμενοι δὲ σαφὲς ἂν καταστήσαιτε αὐτοῖς, ἀπὸ τοῦ ἴσου ὑμῖν μᾶλλον προσφέρεσθαι. αὐτόθεν δὴ διανοήθητε, ἢ ὑπακούειν πρὶν τι βλαβῆναι, ἢ εἰ

πολεμήσομεν, ὥσπερ ἐμοί γε ἄμεινον δοκεῖ εἶναι, καὶ ἐπὶ μεγάλῃ, καὶ ἐπὶ βραχείᾳ ὁμοίως προφάσει μὴ εἴξοντες, μηδὲ ξὺν φόβῳ ἕξοντες, ἃ κεκτήμεθα. τὴν γὰρ αὐτὴν δύναται δούλωσιν ἥτε μεγίστη, καὶ ἡ ἐλαχίστη δικαίωσις ἀπὸ τῶν ὁμοίων πρὸ δίκης τοῖς πέλας ἐπιτασσομένη.

Nemo autem uestrum existimet parua de re bellum gesturos, si Megarensium decretum non sustulerimus, quod in primis prætendunt, si tollatur nullum bellum fore, neque in uobis ipsis culpam relicturos, quasi parua de re bellum gesseritis. etenim hoc paruum totam uestram continet confirmationem, & sententiæ tentationem; quibus si concesseritis, continuo maius quid etiam aliud imperabimini, quasi & hoc metu obedienter facturi: quòd si repugnaueritis, planum eis facietis, ut ex æquo uobiscum se magis gerant. Hinc igitur considerate, aut obedire prius, quàm detrimenti aliquid patiamini, aut si bellum geremus, quemadmodum mihi melius uidetur esse, & ob magnam, & ob paruam æque caussam, nequaquam cessuri, nec cum timore, quæ adepti sumus, possessuri. etenim eandem ualet seruitutem & maxima, & minima

nima

nima postulatio, quæ à paribus ante iudicium proximis imperatur.

NEMO AVTEM VESTRVM &c. Quemadmodum in superiori parte ex insidiis, iniuriisque Lacedæmoniorum proposito honestatis fine, bellum honeste contra eos Atheniensibus suscipiendum esse ostendebat; sic in præsenti ex eorum, quæ ad bellum pertinerent, consideratione proposita eius caussa, quam maximam esse dicit, ex fine necessitatis, bellum necessarium esse conatur suadere. nam si bella, quæ à maxima caussa proficiscuntur, necessaria sunt, profecto hoc bellum necessario suscipiendum uidetur. Maior ex consuetudine oratorum prætermissa est; Minor obiectionis in modum prolata continetur in iis uerbis. *Nemo autem uestrum existimet parua de re bellum gesturos.* probatur autem, cum addit, *etenim hoc paruum* &c. Est enim uniuersa hæc ratio tractata διὰ τὴν λύσιν ἀντιπίπτοντος. nam inter alia, quæ à magistris dicendi præcipiuntur, illud in primis in argumentando à Cicerone traditur, ut occultetur maxime ipsa ars, uiteturque præcipue similitudo: quare nec semper à proposito ordiendum esse uult, neque de omnibus affirmando disputandum.

uerum quo uarietate delectetur, detineaturque auditor, aut interrogandum esse à nobismet ipsis, aut imperandum, aut optandum, aliisque, quæ complura à rhetoribus afferuntur; sententiarum ornamentis utendum: inter quæ hoc, quod modo à Pericle adhibetur, maxime commendatur, & in maximo est usu apud optimos oratores. Hoc Hermogenes libro tertio de inuentione tunc præcipue usurpandum esse docet, cum quid propositum ab aduersariis refutandum proponitur. id quod etiamsi ex quatuor partibus, προτάσει, ὑποφορᾷ, ἀντιπροτάσει, καὶ ἀνθυποφορᾷ constitui dicat, idem tamen earum aliquas prætermittere, & ad breuitatem, & ad uehementiam aptius esse admonet. Hoc loco tres simul partes elegantissime his primis uerbis complexus est: altera pars, quæ est ἀνθυποφορὰ separatim deinceps subiicitur. Est igitur uniuersa tractatio huiusmodi. cum parua, leuisque belli suscipiendi caussa proponi uideretur; etenim decretum tollere Megarensium, in quo tota controuersia uersabatur, res parui momenti esse uidebatur; cumque turpe sit leui de caussa bellum suscipere, unde maximam culpam Athenienses conflaturi uiderentur: ideo hæc omnia simul per obiectionem complexus, ipsis sta-

tim respondet, minimeque paruam hanc esse belli caussam, immo uero maximã ob eas, quas cognoscemus, rationes ostendit. Ex quo perspici potest à caussis belli hanc omnem orationem manare. caussas autem belli ante omnia in consilio de bello capiendo considerandas esse, omnes ferè rhetores præcipiunt. necessitas uero aptissima est ratio ad persuadendum, immo uero ad cogendum auditorem, adeo ut quotiescunque fieri potest, ad hunc in primis finem debeat orator orationem suam dirigere. *Id enim quod necesse est,* inquit Cicero in Partitionibus, *reliquis est & honestatibus, & commodis in ciuili ratione anteponendum.* etiamsi Quintilianus semouerit. cum tamen in secundo de oratore Cicero id ipsum mirifice probasset his uerbis. *Sed si quid fieri possit, aut non possit, quidque etiam sit necesse, aut non sit, in unaquaque re maximè est quærendum: inciditur enim omnis iam deliberatio, si intelligitur, non posse fieri, aut si necessitas affertur, & qui id docuit non uidentibus aliis, is plurimum uidit.* Huiusmodi autem necessarium etiamsi à ceteris finibus separatum esse uideatur, si tamen diligenter uoluerimus attendere, reperiemus semper aut ad utile, aut ad ualde honestum redigi posse. quare præcipit Cicero in

in libris de inuentione; *ut illud, quod adiungitur, semper cuiusmodi sit, consideretur, nam omni tempore id pertinebit aut ad honestatem, aut ad incolumitatem, aut ad commoditatem*, quod autem in hac ratione proponitur, ad utrunque uidetur pertinere. huiusmodi autem necessaria, quæ nam existimanda sint, explicat item Cicero in Partitionibus; nempe ea, sine quibus salui, liberique esse non possumus. Demosthenes autem summam necessitatem appellat infamiam seruitutis. qui & idem, ut placet Vlpiano, ab hoc loco sæpissime ducere enthymemata solitus est.

SI MEGARENSIVM DECRETVM SVSTVLERIMVS, QVOD IN PRIMIS PRÆTENDVNT, SI TOLLATVR, NVLLVM BELLVM FORE. Narrat Plutarchus in Pericle, cum Peloponnesii Lacedæmona de Atheniensibus multis, uariisque de caussis querentes profecti essent, Archidamum regem pacis cupidum plurima crimina ad concordiam contulisse, atq; dummodo Athenienses Megarensium decretum tollerent, eosque in gratiam reciperent, non esse ulla alia de caussa bellum suscipiendum persuasisse, qua etiam de caussa legatos iterum, uti exposuimus, hoc solum petentes miserunt, quibus cum Pericles respondisset legem esse,

qua

qua tabellam, in qua illud esset decretum, deleri prohiberetur, unum ex legatis petiisse, ut illa tantum uerteretur, neque id enim uetitum esse, id quod cum pluribus æquum, honestumq; uideretur, Periclem tamen id nullo modo concessisse, idque, ut à multis ei crimini dabatur, ob priuatas inimicitias. Itaque cum paullo post statim à belli initio Anthemocritus præco ad ipsos Megarenses missus in ipsorum finibus necatus esset, id à Pericle eo consilio commissum à multis iudicatum est, ut ex eo in Megarenses inuidiam, odiumque concitaret, quanuis Charini publico decreto præter cetera in Megarenses, & illud tunc adiunctum sit, ut prætores Athenienses statim creati iusiurandum susciperent, se bis quotannis in Megaridem inuasuros.

ETENIM HOC PARVVM &c. Ἀνθυποφορά, respondet enim rationi dubitationis allatæ. atque non solum paruam, sed etiam maximam esse belli caussam ostendit, cum in ea Atheniensium confirmatio, idest imperii, libertatisque stabilitas, atque sententiæ tentatio, hoc est dignitas, existimatioq; reipublicæ contineatur. quorum illud adeo utile, hoc uero adeo honestum est, ut necessaria utraq; existimanda esse uideantur. siquidem libertas, & honor ex eorum numero

sunt,

sunt, sine quibus recte uiuere non possumus. itaque Catilina apud Sallustium. *nos libertatem petimus, quam nemo bonus nisi cum anima simul amittit*; & Cicero in Philippicis: *Quae caussa est iustior belli gerendi, quàm seruitutis depulsio*. & pro lege Manilia inter ceteras caussas has duas pro libertate, atq; pro gloria, & dignitate in primis enumerat, ob quas etiã genus ipsum belli ita esse necessarium concludit, ut omnino gerendum sit. Auctor quoque Rhetoricorum ad Alexandrũ ubi caussas belli oratori considerandas praecipit, easdem percenset. Itemque Demosthenes in oratione de Rhodiorum libertate. Et ex his quidem, eò quòd de belli caussa haec uniuersa tractatio est, ab eodem etiam ipsam caussae loco deductam esse perspicuum est. Est autem haec ratio sine dubio à fine sumpta, si quidem optimis rebuspublicis dignitas, popularibus autem praecipue libertas finis propositus est. Erit igitur hic locus uigesimus ab Aristotele in Rhetoricis traditus, cuius opus esse inquit, *uidere quae adhortentur, ac dehortentur, & quorum gratia, & agant, & fugiant*. eundem etiam & ad confirmandum, & ad refellendum accommodatum esse praecipit. adiicit etiã hunc integram tum Pamphili, tum Callippi artem extitisse. Licet autem animaduertere Periclem

clem diligentiſsime id quod de ordine,atq; collocatione argumētorū à rhetoribus, præcipitur, obſeruaſſe; nam Cic.in ſecundo de Orat.ſic docet. *Vt in patronis adhibendis optimus quiſque,ſic in oratione firmiſsimum quidque primum eſſe debet.* quare cum rationes, quæ à cauſſæ, atque neceſsitatis locis hauriuntur, cæterarum omnium maximæ, grauiſsimæque eſſe ſoleant, iccirco à principio orationis hæc potiſsimum allata fuit. Id quod ſimiliter à ceteris oratoribus ſæpiſsime factum uidemus; ueluti apud Liuium Appius Tribunus militum libro quinto. *Scilicet quia leuis eſt belli cauſſa;* ſicque eam neceſſariam eſſe oſtendit.

TOTAM VESTRAM CONFIRMATIONEM. Hoc eſt an libere, tuto, atque, ut inferius explicat, ſine timore poſsideant, quæcunq; tenebant, libertatem,& imperium uidelicet.

SENTENTIÆ TENTATIONEM. Hoc eſt, quo animo ſitis, quantoſque ſpiritus geratis; an timidi, an uero fortes, in quo principum,& rerumpublicarum dignitas, exiſtimatioque poſita eſt. qua de cauſſa etiamſi leuis eſſe uideatur, ab iis tamen, qui magni, excelſique animi fuerunt, maxima bella ſæpe ſuſcepta fuiſſe legimus. ueluti à maioribus noſtris contra Genuenſes ob Ptolemaidis templi poſſeſsionem graue, & diu-

turnum, periculoſumque bellum primo ſuſceptum eſt; adeo enim turpe fortiſsimi illi, ſapientiſsimique uiri eſſe ducebant, uel in minima re, in qua dignitas, exiſtimatioque eorum tentaretur, cedere, ut uel cum maximo periculo bellare, quàm cum dedecore obedire maluerint. quod inſtitutum & poſteriores ſeruantes, cum omnibus fere terrarum orbis principibus ultimum bellum ſuſceperunt potius, quàm ſuperbis etiamſi non magni momenti Maximiliani mandatis turpiter obtemperare. Apud Liuium quoque libro quadrageſimo primo Callicrates Achæus cum ab aliis parua, aut mediocris res agi uiſa eſſet, ipſe grauiſsimam omnium agi cenſet hac eadem, qua Pericles, de cauſſa, quia ſpecie parui beneficii ſubrui, & tentari ipſorum libertas uideretur; & paullo poſt etiam adiungit. *Hoc magis tentationem metuo*. Sed & alias apud eundem Liuium de huiuſmodi animorum tentatione mentio fit. nam & libro nono ait. *Et poſtquam Romæ icto cum Samnitibus fœdere Fetiales uenerant res repetitum, tentationem aiebant eſſe, ut terrore incuſſo belli, Romanos ſe fieri paterentur*. Et libro quarto. *Aegre Hortenſius pati, tentationem eam credens eſſe perſeuerantiæ ſuæ*.

QVIBVS SI CONCESSERITIS, CONTI-

NVO

NVO MAIVS QVID ETIAM ALIVD IMPERABIMINI, QVASI ET HOC METV OBEDIENTER FACTVRI: QVOD SI &c. Probatio hæc est superioris assumpti, aperteque ex quartodecimo Aristotelis in Rhetoricis loco deprompta, qui à consequenti contrariorum dicitur. sunt autem contraria *concedere*, atque *repugnare*; & utrisque etiam contraria consequentia sunt. nam ei, qui concedit, sequitur, ut imperetur, libertatemque amittat, qui uero repugnat, ut secum inimici ex æquo se magis gerant, atque ut ipse libertatem, dignitatemque retineat, quare cum ea, ex quibus bonum aliquod consequitur, persequenda, ex quibus uero malum, fugienda sint, merito ab Atheniensibus repugnandum Lacedæmoniis, nulloq; pacto illis cedendum esse ex his Pericles ostendit, ac maximam hanc esse caussam belli hoc modo demonstrat. Quod autē ex hac, quæ res parua uidebatur, concesione, tāta mala cōsequutura essent, tacite uidetur probari iis uerbis. *Quasi & hoc metu obedienter facturi*. siquidem ut ex iis, quæ ab Aristotele de metu, atque fidentia dicta sunt, perspicere licet, *eorum homines metuentes sunt, à quibus aliàs passi quidpiam sunt; & ii contra in primis fidentes sunt aduersus illos, quos etiam uicerint, & quibus*

ſe præstare arbitrantur. Si ſemel igitur infirmitatem Atheníenſium Lacedæmonii experti eſſent, an dubium eſt, quin arrogantiores, inſolentioresque euaſuri in Athenienſes fuiſſent? præſertim uero cum & natura etiam huiuſmodi eſſent Lacedæmonii, ſiquidem ut libro ſecundo Ariſtotelis Politicorum ſcriptum eſt, *Lacedæmonii, ſi remiſſe erga illos te geras, ſuperbiebant illi quidem, ac pares ſe dominantibus exiſtimabant*.

Hinc igitur considerate &c. Concluſio, uel μεγικὸς ἐπίλογος rationis nuper de magnitudine, & neceſsitate belli allatæ. eſt autem uſitatum hoc genus concluſionis apud Græcos. omnino autem ſimilis huic alia eſt etiam in concione Hermocratis apud Camarinenſes libro ſexto harum hiſtoriarum. *Quare conſiderate, atque iam nunc eligite aut præſentem ſine periculo ſeruitutem, aut hoc, ut ſi uiceritis, nobiſcum ne turpiter iſtos dominos ſuſcipiatis, & inimicitias noſtras non breues deuitetis*. Eſt autem maxima uis in eo uerbo *conſiderate*, Nam & rem ante oculos, ſiue potius animum proponit, & attentionem facit, atq; etiam modeſtiam oſtendit.

Avt obedire privsqvam detrimenti aliqvid patiamini. Dictum hoc eſt cum indignatione, atque per ironiam. reſpon-

respondet autem hoc superioribus uerbis: *quibus si concesseritis* &c. nam & in altera concione libri secundi dixit necesse fuisse quoties Lacedæmoniis cessissent hac in re, statim etiam eisdem semper obedisse.

AVT SI BELLVM GEREMVS, NEQVAQVAM CESSVRI, NEC CVM TIMORE QVÆ ADEPTI SVMVS POSSESSVRI. Hoc serio dictum est, quare & bonum, quod inde consequitur, fuit adiunctum. refertur autem ad id, *quod si repugnaueritis, planum* &c. Est autem mirabile, quanta in hac tota tractatione artificii, eloquentiæque uis eluceat: etenim præterquam quod miris modis hæc pars confecta, repetita, exornataque est, uidemus etiam singulis ferè in uerbis affectuum uim incredibilem adhiberi, iram nempe, atque pudorem. Ira est in eo uerbo, *imperabimini*, itemque in illo, *considerate aut obedire*, Lacedæmonios enim imperare, Athenienses uero obedire contumeliæ, indignitatisque plenum est. Pudorem autem affert dum ait, *quasi & hoc metu obedienter facturi*; & deinde dum concludit, *considerate aut obedire*. nam, ut est apud Aristotelem capite de pudore, *homines maxime pudore afficiuntur, quoties patiuntur, aut passi, aut passuri sunt eiusmodi res, quæ ad existimationis offensionem,*

nem, & probra pertineant, sed præcipue si sua culpa ipsis ea dicantur euenire. nihil igitur poterat Atheniensem populum magis ad pudorem impellere, quàm si ei sponte ipsum obedire, seruitutemq; eligere, obiectum foret. cum præsertim non solum ad libertatem, sed etiam ad imperandum se natum esse profiteretur, & apud Græcos iis temporibus nulla maior infamia seruitute haberetur. itaq; Arist. Barbaros, eo quòd seruirent, belluas in Politicis appellauit. Atque in his illud etiam, quod & de affectuum mouendorum loco, & dispositione à rhetoribus præcipitur, qua ratione optime obseruatum sit, notemus. nam Cicero in secundo de Oratore præcipit, *cum sæpe, tum uero aliquot firmissimis argumentis nostris confirmatis motus animorum adhibendos.* Aristoteles uero libro tertio de Arte dicendi. *Ubi enthymema dixeris, affectum proferas.*

ETENIM EANDEM VALET SERVITUTEM &c. Hæc est altera ratio, qua adhuc maximam hanc, necessariamque belli caussam esse demonstratur. nam ex cedendo, atque obediendo etiam minima in re, libertatis diminutio fit. quæuis enim postulatio, quæ à paribus ante iudicium fit, est diminutio libertatis. quare cum postulatio hæc à Lacedæmoniis, qui æqua-

les Athenienſibus erant, ante iudicium fieret, cui dubium, ſi ipſis obeditum foret, ne libertatis magna diminutio facta fuiſſet? Eſt autem ſumpta hæc ratio à deſcriptione, ſiue etiam à cauſſa efficiente ſeruitutis, quæ libertati opponitur. quare & à contrario etiam quodammodo ſumpta uidebitur. Poſita autem eſt poſt concluſionem, nam oratores, quo magis artificium ipſorum occultetur, miſcent inter ſe argumenta, & concluſiones interponunt, id quod non raro etiam à ſcientiarum, philoſophiæque magiſtris fieri ſolet. At oratoris in primis tractatio uaria eſſe debet. Id autem ita faciendum docet Cicero in oratore. *Proponi oportet, quid afferas, & id, quare ita ſit, oſtendere: & ex iiſdem illis locis interdum concludere, relinquere alias, alioq; tranſire, ſæpe non proponere, ac ratione ipſa afferēda, quid proponendum fuerit, declarare; ſi cui quid ſimile dicas, prius ut ſimile confirmes; deinde quod agitur adiungas; puncta argumentorum plerumque ut occulas, ne quis ea numerare poßit; ut re diſtinguatur, uerbis confuſa eſſe uideantur.* Eſt autem ſimilis huic Periclis ſententia, ad idēq; etiam fere oſtendendum aſſumpta à Demoſthene in Philippicis. *Pietas, & iuſtitia ſiue quis paruis, ſiue magnis in rebus eas uiolarit, eandem habent uim.*

ΤΑ' δὲ τοῦ πολέμου, καὶ τῶν ἑκατέροις ὑπαρχόντων, ὡς οὐκ ἀσθενέστερα ἕξομεν, γνῶτε καθέκαστον ἀκούοντες. αὐτουργοί τε γάρ εἰσι πελοποννήσιοι, καὶ οὔτε ἰδίᾳ, οὐδὲ ἐν κοινῷ χρήματα ἐστὶν αὐτοῖς. ἔπειτα χρονίων πολέμων, καὶ διαποντίων ἄπειροι, διὰ τὸ βραχέως αὐτοὶ ἐπ' ἀλλήλους ὑπὸ πενίας ἐπιφέρειν. καὶ οἱ τοιοῦτοι οὔτε ναῦς πληροῦντες, οὔτε πεζὰς στρατιὰς πολλάκις ἐκπέμπειν δύνανται, ἀπὸ τῶν ἰδίων τε ἅμα ἀπόντες, καὶ ἀπὸ τῶν αὐτῶν δαπανῶντες, καὶ προσέτι καὶ θαλάσσης εἰργόμενοι: αἱ δὲ περιουσίαι τοὺς πολέμους μᾶλλον, ἢ αἱ βίαιοι ἐσφοραὶ ἀνέχουσι: σώμασι τε ἑτοιμότεροι οἱ αὐτουργοὶ τῶν ἀνθρώπων, ἢ χρήμασι πολεμεῖν, τὸ μὲν πιστὸν ἔχοντες ἐκ τῶν κινδύνων κἂν περιγίνεσθαι, τὸ δὲ οὐ βέβαιον μὴ οὐ προαναλώσειν: ἄλλως τε κἂν παρὰ δόξαν, (ὅπερ εἰκὸς) ὁ πόλεμος αὐτοῖς μηκύνηται, μάχῃ μὲν γὰρ μιᾷ πρὸς ἅπαντας ἕλληνας δυνατοὶ πελοποννήσιοι, καὶ οἱ ξύμμαχοι ἀντισχεῖν, πολεμεῖν δὲ μὴ πρὸς ὁμοίαν ἀντιπαρασκευὴν ἀδύνατοι. ὅταν μήτε βουλευτηρίῳ ἑνὶ χρώμενοι παραχρῆμα τι ὀξέως ἐπιτελῶσι: πάντες τε ἰσόψηφοι ὄντες, καὶ οὐχ ὁμόφυλοι τὸ ἐφ' ἑαυτὸν ἕκαστος σπεύδει, ἐξ ὧν φιλεῖ μηδὲν ἐπιτελὲς γίγνεσθαι, καὶ γὰρ οἱ μὲν ὡς μάλιστα τιμωρεῖσθαι τινα βούλονται, οἱ δὲ ὡς ἥκιστα τὰ οἰκεῖα φθεῖραι: χρόνιοι τε ξυνιόντες ἐν βραχεῖ μὲν μορίῳ σκοποῦσι τι τῶν κοινῶν, τῷ δὲ πλείονι τὰ οἰκεῖα πράσσουσι: καὶ ἕκαστος οὐ παρὰ τὴν ἑαυτοῦ ἀμέλειαν οἴεται βλάψειν, μέλειν δὲ τινὶ καὶ ἄλλῳ ὑπὲρ ἑαυτοῦ τι προϊδεῖν, ὥστε τῷ αὐτῷ ὑπὸ ἁπάντων ἰδίᾳ δοξάσματι λανθάνειν τὸ κοινὸν ἀθρόον φθειρόμενον. μέγιστον δὲ τῇ τῶν χρημάτων σπάνει κωλύσονται, ὅταν σχολῇ αὐτὰ ποριζόμενοι διαμέλλωσι, τοῦ δὲ πολέμου οἱ καιροὶ οὐ μενετοί.

QVæ uero ad bellum, & ad utriusque nostrum opes pertinent, haud deteriora nobis affutura; hinc sigillatim audientes cognoscite. etenim Peloponnesij operarij sunt. &

neque

neque priuatim, neque publice pecunias habent. deinde diuturnorum bellorum, atque maritimorum imperiti ſunt, quia leuiter ipſi inter ſe propter paupertatem armis contendunt. ac tales homines neque naues complere, neque pedeſtres copias ſæpe emittere poſſunt, cum unà & à propriis rebus abſint, & de ſuo impendant; & præterea mari arceantur; bella uero abundantes copiæ potius, quàm uiolentæ tributorum collationes ſuſtinent; & qui hominum operarij ſunt paratiores ad bellandum corporibus ſunt, quàm pecuniis, illa quidem certum habentes ex periculis euaſura, has uero non ratum non antea expenſuros; præſertim uero ſi contra opinionem (ut uериſimile eſt) bellum eis producatur. etenim prœlio uno aduerſus Græcos omnes Peloponneſij, & eorum ſocij reſiſtere poſſunt, at contra diſsimilem aduerſariorum apparatum pugnare non poſſunt. quando ne conſilio quidem uno utentes extemplo aliquid mature conficiant; & cum omnes paribus ſuf-

fragiis sint; & non eiusdem tribus; suæ quisque rei studet, ex quibus perfecti nihil fieri solet, etenim alij quammaxime ulcisci quempiam uolunt, alij autem quamminime res suas labefactare; & cum longo interuallo conueniant breui quidem momento res communes consultant, maiorem uero partem res domesticas agitant; atque unusquisque sua ignauia haudquaquam nociturum putat, aliis autem curæ esse, ut pro se ipso prospiciant, usque adeo ut eodem priuato omnium consilio clam respublica tota intereat. quod uero caput est, pecuniarum inopia prohibebuntur, quando ægre eas parantes cunctabuntur, at belli tempora non stabilia sunt.

QVÆ VERO, &c. Quoniam quamplurima potest capita, unde argumenta hauriat, parare sibi orator debet, posibile autem Aristoteles suasoribus aptisimum esse docet, ideo Pericles cum ab honesto, & necessario satis firmis rationibus bellum in Peloponnesios suasisset, nunc à posibili, facilique ipsos ad idem adhortatur. quod ut assequatur, incredibile

dictu

dictu est, quanto studio, & diligentia ea, quæ ad Lacedæmonios, & Athenienses, præsensque bellum pertinent, consideret. Primum autem Lacedæmoniorum difficultates percenset. deinde quæcunque pro illis facere uidebantur, ea parui momenti, ac minime formidabilia esse demonstrat: ultimo loco Atheniensium res longe superiores fore pluribus de caussis auguratur. Difficultates autem, quæ de Peloponnesiis afferuntur, huiusmodi sunt. quòd operarii homines sunt. quòd neque priuatim, neque publicè pecunias habent. quòd diuturnorum, atque maritimorum bellorum imperiti sunt. quòd multæ gentes, neque eodem consilio utentes sint. ex quibus hoc in bello plurima illis incommoda, periculaque necessario euentura esse prospicit. Verum hæc oratione adeo implicita, atque inuoluta exponuntur, ut quamuis rationes re sint distinctæ, uerbis tamen, ut præcipit Cicero faciendum, confusæ esse uideantur. Ad suadendum autem quippiam maximam habet uim, si id facile fieri posse dicamus: nam si fieri non posset, ne suasioni quidem locus esset. qua de re sic Cicero in Partitionibus. *Suasori, aut dissuasori illa in primis uidenda sunt; quid aut possit fieri, aut non possit, & quid*

aut necesse sit, aut non necesse. cum autem quæritur quid fieri possit, uidendum est etiam, quàm facile possit; nam quæ perdifficilia sunt, perinde habenda sunt, ac si effici non possint. Aristoteles quoque libro primo Rhetoricorum, ubi agit de bonorum generibus inter ea, quæ præeligenda sunt ponit etiam ea, quæ fieri possunt: *Hæc uero bifariam, tum quæ fiant, tum quæ facile fiant, facilia uero, quæ sine molestia, aut breui tempore, quia difficile definitur, aut molestia, aut longitudine temporis.* Sed de hoc eodem ille pluribus suo loco libro secundo. Cicero autem à caussis efficientibus uidendum esse, quid facile sit, si illæ modo suppetant, præcipit in Partitionibus: ubi etiam totam huius loci tractationem sic tradit: *Quo toto genere quibuscum, & contra quos, quo tempore, aut quo loco, aut quibus facultatibus armorum, pecuniæ sociorum, earumde rerum, quæ ad quanque rem efficiendam pertinent, possimus uti, requirendum est: neque solum ea, quæ nobis suppetunt, sed etiam illa, quæ aduersantur, uidenda: & si ex contentione procliuiora erunt nostra, non solum effici posse, quæ suademus, erit persuadendum, sed curandum etiam, ut illa facilia, procliuia, iucunda uideantur.* Quæ omnia eodem ferè modo à Pericle obseruata in præsenti tractatione uidebimus. Nunc autem dum difficultates Lacedæmoniorum hostium demonstrat,

nihil aliud agit, quàm quòd facile Atheniensibus bellum ostendit. ex contrariis enim contraria colliguntur. si enim bellum Lacedæmoniis difficile, certè Atheniensibus facile. nam si, ut ait Aristoteles, *Quod omnino est contrarium ei, quod inimici uolunt, aut quo lætantur, commodum uidetur*. profectò ex incommoditatibus, difficultatibusque Lacedæmoniorum commoditates, Atheniensium colligentur. Est autem hoc apud omnes ferè oratores in more positum, ut in suasione belli difficultates hostium exponantur. nam ut præcipit Aristoteles, *Qui bellum suadent, oportet ut hostium uires spectent, ut aut cum superioribus pax componatur, aut cum inferioribus bellum suscipiatur*. Itaque Archidamus in ea concione, quæ licet huic contraria sit, eadem tamen arte, qua & hæc, pertractata est; ut Lacedæmonios à bello deterreret, non modò illos difficile, sed & Athenienses facile illud confecturos, ac superiore conditione futuros demonstrare conatur. Idemque etiam præstat Nicias libro sexto harum historiarum, in dissuasione belli contra Syracusanos. & & apud Liuium mirum est quàm moratè sapientissimi uiri Fabii Maximi oratio formata sit in prospiciendis malis, quæ ex Scipionis in Africam traiectione oriri potuissent. Nam in consultationi-

ſultationibus de futuris proſpicere nedum ad argumentandum neceſſarium, ſed etiam ad prudentiæ opinionem comparandam accommodatiſsima ratio eſt. Eſt igitur Periclis concio moratiſsima, quippe quæ prouidẽtiã præſefert. Sed & affecta eadẽ nihilominus apparet, fiduciæ enim plena eſt hac tota in parte; nam docet Ariſtoteles, *Homines fidentes maxime fieri, ſi aut nullos, aut imbecillos eſſe aduerſarios dicatur. Eſt autem,* ut idem tradit, *fidentia ſpes cum phantaſia rerum ſalutarium, ut quæ prope ſint, metuendarum uero, aut quæ nullæ ſint, aut longe abſint.* Sunt autem hæc omnia, quæ ad facilitatem belli ſuadendam hac in parte traduntur, quæ ſanè & enthymematum ui, & ſententiarum numero, maxima, & plurima ſunt, ex locis conſequentium, atque cauſſarum efficientium ferè deprompta.

QVÆ VERO AD BELLVM, ET AD VTRIVSQVE NOSTRVM OPES PERTINENT, HAVD DETERIORA NOBIS AFFVTVRA, HINC SIGILLATIM AVDIENTES, COGNOSCITE. Tranſitio, atq; propoſitio eorũ, quæ de facilitate deinceps dicenda ſunt. id autem apud oratores ſæpiſsime fieri ſolet, ut non ſolum in principio, ſed etiam in medio proponatur: immo uero huiuſmodi in medio orationis

nis propositiones multo magis, quàm in principio ad docilitatem, attentionemque faciendam prodesse arbitratus est Aristoteles, libro enim tertio Rhetoricorum sic præcipit. *Attentos quidem facere omnium partium est commune, si opus sit, quia ubique magis, quam incipiendo auditores languescunt, quocirca ridiculum est id in principio collocare, cum maxime omnes attente audiunt.* & Cicero in Oratore, *Attentum uero crebro tota actione excitandis mentibus iudicum, non prima denunciatione efficere possumus.* Est autem ad attentionem comparandam uerbum illud *cognoscite* accommodatissimum, ideoque sæpius ab oratoribus usurpatum.

ETENIM PELOPONNESII OPERARII SVNT. Prima hæc est Peloponnesiorum difficultas, quod αὐτουργοὶ essent, hoc est, quod agros, artesque ceteras propriis manibus exercerent. Vtrunque autem uerum erat, maximeque de Lacedæmoniis. quarum rerum hæ fortasse caussæ extiterunt, quod quidem artes exercerent, quia cum ex legibus Lycurgi ferreus nummus, isque maximi ponderis Lacedæmone tantum in usu esset, externorum hoc pacto commercium sublatum est. omnia igitur ipsi sibi necessaria conficere coacti sunt. quare in plurimis etiam ipsos artibus excellentes euasisse narrat Plutar-

chus

chus in Lycurgo. quòd autem agros colerent, caussa fuit inopia seruorum, ut censet is, qui scholia in has historias scripsit. cum præsertim, ut ait Aristoteles libro secundo Politicorum, plurimum agri haberent Spartani, adeo ut quemadmodum narrat etiam Thucydides in proœmio harum historiarum ex quinque totius Peloponnesii partibus duas ipsi possiderent.

Et neqve privatim, neqve pvblice pecvniam habent. Secunda Lacedæmoniorum difficultas, cui itidem Lycurgi etiam leges caussam attulerunt, hic enim diuitias omnes è ciuitate sustulit. existimabat enim ille uir malorum omnium caussas ex hoc fonte manare. in primis autem inimicorum in se impetum allicere. Plutarchus in Lycurgo. Xenophon de Republica Atheniensi. Quanuis autem Plato in Alcibiade primo apud Lacedæmonios auri, atque argenti copiam tantam esse, quanta ne uniuersa quidem reliqua Græcia possideret, eosque Græcorum omnium ditissimos esse affirmet; id tamen de inferioribus temporibus intelligendum est, siquidem, ut ait Plutarchus in Lycurgo Agide regnante pecuniæ, diuitiarumque usus Lacedæmona influxit, qui Alcibiadis tempore fuit, Pericle autem posterior, at

paullo tamen. Xenophon etiam, qui iisdem Platonis temporibus scripsit, ætate sua Lycurgi leges immutari, atque aurum desiderari cœptum esse prodidit, ita ut cum prius pertimescerent, ne quid auri habere uiderentur, tunc autem quosdam se nouisse, qui quæstu gloriarentur. Verum & Archidamus ipse Lacedæmoniorum rex in eadem, quam sæpe protulimus, concione, hanc suam imbecillitatem fatetur. nam *Athenienses priuatis, & publicis diuitiis abundare, se uero neque in communi habere, neque ex priuatis libenter conferre*, affirmat. atque hæc una præcipua ipsius ad bellum dissuadendum ratio erat.

DEINDE DIVTVRNORVM BELLORVM, ATQVE MARITIMORVM IGNARI SVNT. Duæ simul his uerbis Lacedæmoniorum difficultates comprehensæ sunt. Caussa uero, cur diuturna bella non gererent Lacedæmonii, cum ea est, quæ subiungitur ab ipso Pericle, nempe paupertas, ob quam nisi leuibus, breuibusque bellis cum uicinis contendere non poterant, tum etiam ea, quæ colligitur ex Plutarcho in Lycurgo, quod ex huius legibus ipsis uetabatur bis exercitum contra eosdem ducere; id uero ea ratione, ne hostes ab ipsis experientia edocti,

eorum bellandi rationem, artemque perdiscerent. itaque reprehensus est Agesilaus, quod in Thebanos sæpius profectus esset, à quo ipsi uel inuiti hoc pacto militiam didicisse fatebantur. Maritima uero non attingebant Lacedæmonii partim propter incommoditatem, quoniam longe à mari incolebant, partim uero, quoniam, ut docet Plutarchus in libello de institutis Lacedæmoniorum, id legibus Lycurgi prohibebatur, ne eo pacto peregrinis moribus inficerentur. hæc autem eadem commemorat & Archidamus.

ACTVALES HOMINES &c. Considerata diligenter, prudenterque examinata natura, statuque Lacedæmoniorum, atque ipsorum difficultatibus quatuor maximis expositis, ex iis nunc incommoda, atq; damna in bello eis euentura demonstrat; ea uero sunt, quod naues complere non poterunt; quod pedestres copias sæpius emittere non ualebunt; quod tributorum collationes, atque pecuniarum impensas moleste ferent; quod si bellum producatur, eo citò defatigabuntur: atque horum singula ex uno, uel pluribus eorum, quæ enumerata sunt, uitiis consequuntur.

NEQVE NAVES COMPLERE, NEQVE PEDE-

PEDESTRES COPIAS SÆPE EMITTERE POSSVNT. Hæc duo sunt Peloponnesiis in bello incommoda euentura, quæ Pericles ab iisdem caussis educit; nam & longe domo abesse, atque de suo impendere cogentur, illi uero hæc ægre, molesteque passuri sunt: at qui hæc non præstiterint, illi neutrum illorum conficere poterunt. Peloponnesii igitur sine dubio in huiusmodi incommoda incurrent. quin etiam & alia de caussa naues complere non poterunt, quia ab Atheniensibus classe ualidioribus mari arcebuntur. Hæc autem omnia ex iis pendent difficultatibus, quæ iam propositæ sunt; nempe quòd αὐτουργοὶ, inopesque Peloponnesii sint.

BELLA VERO ABVNDANTES COPIÆ POTIVS &c. ET QVI HOMINVM &c. In his prospicit Pericles in quantis pecuniarũ angustiis Pelopõnesii futuri sint; nam & illas ipsi moleste, inuitiq; contribuent; est enim hoc eorum hominum generis, qui pauperes, atq; operarii sunt, consuetum, ut libentius uitam periculis bellicis committant, quàm de suo aliquid uelint impendere; & præterea huiusmodi uiolentis collationibus nihil boni peragi solitum est; nam bella publicæ potius, quàm priuatæ pecuniæ sustinet. Hæc autem eadem & ab Archidamo quoq;

N 2 prædi-

prædicta omnia fuerant. Sed & Ariſtoteles libro ſecundo Politicorum de hoc ipſo ſimiliter Lacedæmoniorum Rempublicam accuſat his uerbis. *Male etiam circa pecunias publicas apud Spartiatas constitutum eſt, quia neque in publico habent quicquam, & magna bella gerere coacti, pecunias ægre conferunt, nam quia Spartiatarum eſt plurimum agri, non examinant inuicem collationes, & euenit legum latori contra quàm commodum eſt, publice inopiam, priuatim auaritiam inducere.* hoc autem, quod nunc à Pericle accuſatur, à Corinthiis contra in ſecunda eorum hoc eodem libro concione laudatur, qui cum corporibus Lacedæmonios magis quàm pecuniis ualere dixiſſent, fortitudinem, peritiamque bellandi longe opibus in bello præſtare conantur oſtendere.

Præsertim vero si contra opinionem, vt verisimile &c. In his aut pergit demonſtrare difficultates, quibus Lacedæmonii pecuniarum cauſſa laboraturi eſſent, aut ex moleſtia, qua Lacedæmonii in conferendis ſæpius pecuniis afficientur, illos cito defatigatum iri oſtendit. Id quod certe euentus ipſe comprobauit; nam, ut eſt in ſecunda hiſtoria apud Thucydidem, ubi Peloponneſii bellum duci ſenſerunt, unde ſæpius pecunias conferre

ferre cogebantur, statim defatigari cœperunt. Sed & Archidamus ad dissuadendum bellum hac potissimum ratione usus est, quod bellum minime breue, sed quod posteris relinquendum esset, suscipiendum proponeretur. Pericles autem eo potissimum inditio ducitur ad hoc augurandum, quod utrique præpotentes essent, Peloponnesii quidem terra, ita ut uno prœlio, uel contra Græciam omnem pugnare ualerent, Athenienses uero mari, adeo ut dissimili bellandi modo infestare, & defatigare facile Lacedæmonios potuissent. atque hoc etiam ipsum ita euenit, nam cum Athenienses ex Periclis sententia urbis muris semper se continerēt, classe uero Peloponnesi oram quotannis uexarent, pluribusque uictoriis naualibus reportatis, præcipue autem ad Pylum principibus Lacedæmoniorum captis pacem eos petere coegerunt. Archidamus autem & ipse ex eo quod non simili ratione bellandi, quo Atheniensibus, eis utendum esset, similiter difficultatem belli proponebat. Vtrique igitur & Pericles, & Archidamus id, quod ab Aristotele præcipitur, in suis concionibus obseruarunt. admonet enim ille in belli suasione hostium uires, & copias considerandas esse, an similes, an uero dissimiles à

nostris

nostris sint, & in quibus superiores, in quibusq; inferiores esse uideantur.

Qvando, ne consilio qvidem vno vtentes &c. Quinta hæc est Peloponnesiorum difficultas, ex qua, ut etiam ex superioribus plurima illis in hoc bello incommoda profectura demonstrat. Nam cum Peloponnesiorum societas ex multis ciuitatibus, populisque confecta esset, iisque omnibus in suffragio paribus, ita ut non unius, sed plurimorum consilio, uoluntateque bellum gerendum esset, hæc omnia ex his sequentur incommoda. Primo enim nihil mature conficient, deinde quòd priuatæ rei solum consulentes, ac diuersos singuli fines respicientes perfecti nihil molientur, itemque quòd raro conuenient, breuique tempore de rebus maximis deliberabunt. præterea quòd in exequendis, ac peragendis rebus necessariis, cùm singuli in singulos, alterq; in alterum respecturus sit, lentius, segniusque se gesturi sint, adeo ut clam respublica tota sit interitura. Pulcherrimus sanè, ac præstantissimus hic mihi locus uidetur, in quo ea omnia, quæ in societatibus incommoda oriri solent, breuiter, & magna enthymematum ui comprehensa sunt. Hæc autem omnia plerunque uerissima accidere,

dere, cum à multis ueteribus, nostrique etiam temporis prudentissimis uiris rationibus, commentationibusq; demonstratum est, tum uero usus optimus actionum humanarum magister, sæpissime comprobauit, non modo antiquis temporibus, maximeque in hoc Peloponnesiaco bello, in quo multæ, uariæque sociorum alienationes, & dissensiones contigerunt, uerum etiam his paullo ante actis temporibus. id quod nostra in primis respublica optime experta est. Hæc autem omnia in belli suasione animaduertenda docet etiam Aristoteles, & libro primo, & secundo Rhetoricorum.

NEQVE VNO CONSILIO VTENTES. Siquidem ex multis ciuitatibus, rebusque publicis societas illa conflata erat; illæ autem quænam essent libro secundo omnes numerantur à Thucydide: ubi etiam Atheniensium socii eodem pacto percensentur.

NIHIL MATVRE CONFICIENT. Ex eo quod tot ciuitatum consilio semper in singulis actionibus, ueluti pecuniarum collationibus, militum delectibus, nauium comparationibus, subsidiis mittendis, singulisque expeditionibus decernendis, utendum erit, id autem in bellis maximi momenti est; siquidem, ut paullo post

dicit,

dicit, belli occasiones præcipites sunt.

ET CVM OMNES PARIBVS SVFFRAGIIS SINT, ET NON EIVSDEM TRIBVS. Quod æquales hi omnes inter se essent, quomodoque de rebus decernerent, declarauit Thucydides hoc eodem libro non longe ante hanc concionem. *Lacedæmonii auditis omnium sententiis, calculos cunctis, qui aderant, intulerunt sociis, gradatim à maxima ad minimam usque ciuitatem, & illi frequentes de bello dedere suffragia.*

SVÆ QVISQVE REI STVDET, EX QVIBVS PERFECTI NIHIL FIERI SOLET. ETENIM &c. Hæc & huiusmodi incommoda in actionibus, quarum cura pluribus demandata est, & societatibus, & rebuspublicis accidere solent; adeo ut paulatim etiam tota respublica intereat. Idem & Aristoteles in Politicis ostendit, atque ex hoc maxime Platonis sententiam de rerum communione impugnat. id quod plurimorum in una familia seruorum exemplo cōprobauit, qui negligentius res domesticas curant, quam pauciores.

ETENIM ALII QVAMMAXIME VLCISCI QVEMPIAM VOLVNT, ALII QVAMMINIME RES SVAS LABEFACTARE. Quod fœderatorum hæc natura sit, ut uarios singuli

sibi

ſibi fines proponant, oſtendit etiam Demoſthenes in oratione de pace ad tollendam Philippi fiduciam, quam in Thebanorum ſocietate ponebat.

ET CVM LONGO INTERVALLO CONVENIANT BREVI MOMENTO RES COMMVNES CONSVLTANT. Hoc idem ad hoc bellum incommodum afferebat etiam Archidamus. eſt autem hoc omnino cõtrarium ei, quod in Ethicis præcipit Ariſtoteles. *tarde deliberandum, celeriter uero agendum.* Diodotus quoq; apud Athenienſes his eiſdem hiſtoriis, duo eſſe conſiliis inimica dicebat, iram, atque feſtinationem.

ATQVE VNVSQVISQVE NON SVA IGNAVIA NOCITVRVM PVTAT, ALIIS AVTEM CVRÆ ESSE, VT PRO SE IPSO &C. Hac eadem de re Athenienſes accuſat Demoſthenes in prima oratione contra Philippum his uerbis. *Si deſieritis ipſi nihil agere, dum ſperatis alium pro uobis facturum eſſe omnia.* atque περὶ τῶν συμμοριῶν. *Poſt autem alius alium reſpexiſtis, tanquam ipſe nihil, proximus omnia facturus eſſet.*

QVOD VERO CAPVT EST PECVNIARVM INOPIA PROHIBEBVNTVR, &C. Repetit id, quod etiam ſuperius, eo quod hoc inter cetera omnia Peloponeſiorum incommoda

O maxi-

maximum erat; est enim in belli consultatione illud tritum, *pecunias neruos esse belli*. unde hac eadē de re accusans Lacedæmonios Archidamus, dicebat, *bellum non magis ope armorum, quàm sumptibus stare, per quos utilia sunt arma*.

AT BELLI TEMPORA NON STABILIA SVNT. Eandem sententiam sumebat Demosthenes ad accusandos Athenienses in prima Philippica. *Nam rei gerendæ tempus in apparando consumimus, rerum autem occasiones non expectant nostram tarditatem, & socordiam*. Et Cicero in quinta Philippica, *Minimis momentis maximas inclinationes temporum fieri, cum in omni casu reipublicæ, tum in bello*, affirmat. atque in sexta. *Dies enim affert, & hora magnas clades*.

Καὶ μὴν οὐδ' ἡ ἐπιτείχισις, οὐδὲ τὸ ναυτικὸν αὐτῶν ἄξιον φοβηθῆναι. τὴν μὲν γὰρ χαλεπὸν καὶ ἐν εἰρήνῃ πόλιν ἀντίπαλον παρασκευάσασθαι, ἤπου δὴ ἐν πολεμίᾳ τε, καὶ οὐχ ἧσσον ἐκείνοις ἡμῶν ἀντεπιτετειχισμένων. φρούριον δ' εἰ ποιήσονται, τῆς μὲν γῆς βλάπτοιεν ἄν τι μέρος καταδρομαῖς, καὶ αὐτομολίαις, οὐ μέντοι ἱκανόν γε ἔσται ἐπιτειχίζειν τε, καὶ κωλύειν ἡμᾶς πλεύσαντας ἐς τὴν ἐκείνων, καὶ ᾗπερ ἰσχύομεν ταῖς ναυσὶν ἀμύνεσθαι. πλέον γὰρ ἡμεῖς ἔχομεν τοῦ κατὰ γῆν ἐκ τοῦ ναυτικοῦ ἐμπειρίας, ἢ ἐκεῖνοι ἐκ τοῦ κατ' ἤπειρον ἐς τὰ ναυτικά. τὸ δὲ τῆς θαλάσσης ἐπιστήμονας γενέσθαι οὐ ῥᾳδίως αὐτοῖς προσγενήσεται, οὐδὲ γὰρ ὑμεῖς μελετῶντες εὐθὺς ἀπὸ τῶν Μηδικῶν ἐξείργασθέ πω. πῶς δὴ ἄνδρες γεωργοί, καὶ οὐ θαλάσσιοι, καὶ προσέτι οὐδὲ μελετῆσαι ἐασόμενοι, διὰ τὸ ὑφ' ἡμῶν πολλαῖς ναυσὶν ἀεὶ ἐφορμεῖσθαι, ἄξιον ἄν τι δρῶεν; πρὸς μὲν γὰρ ὀλίγας ναῦς ἐφορμούσας κἂν διακινδυνεύσειαν,

ξυνέυσειαν, πλήθει τὴν ἀμαθίαν θρασύνοντες· πολλαῖς δὲ εἰργό-
μενοι ἡσυχάσουσι, καὶ ἐν τῷ μὴ μελετῶντι ἀξυνετώτεροι ἔσονται,
καὶ δι᾽ αὐτὸ καὶ ὀκνηρότεροι, τὸ δὲ ναυτικὸν τέχνης ἐστίν, ὥσπερ
καὶ ἄλλο τι, καὶ οὐχ ἐνδέχεται, ὅταν τύχῃ, ἐκ παρέργου μελε-
τᾶσθαι, ἀλλὰ μᾶλλον μηδὲν ἐκείνῳ πάρεργον ἄλλο γίγνεσθαι.
εἴτε καὶ κινήσαντες τῶν ὀλυμπίασιν, ἢ δελφοῖς χρημάτων μισ-
θῷ μείζονι πειρῷντο ἡμῶν ὑπολαβεῖν τοὺς ξένους τῶν ναυτῶν. μὴ
ὄντων μὲν ἡμῶν ἀντιπάλων, ἐσβάντων αὐτῶν, καὶ τῶν μετοίκων,
δεινὸν ἂν ἦν, νῦν δὲ τόδε τε ὑπάρχει, καὶ (ὅπερ κράτιστον) κυ-
βερνήτας ἔχομεν πολίτας, καὶ τὴν ἄλλην ὑπηρεσίαν πλείους, καὶ
ἀμείνους, ἢ πᾶσα ἡ ἄλλη ἑλλάς, καὶ ἐπὶ τῷ κινδύνῳ οὐδεὶς ἂν δέ-
ξαιτο τῶν ξένων τήν τε αὐτοῦ φεύγειν, καὶ μετὰ τῆς ἥσσονος ἅμα
ἐλπίδος ὀλίγων ἡμερῶν ἕνεκα μεγάλου μισθοῦ δόσεως ἐκείνοις ξυνα-
γωνίζεσθαι. καὶ τὰ μὲν πελοποννησίων ἔμοιγε τοιαῦτα, καὶ πα-
ραπλήσια δοκεῖ εἶναι.

ATqui neque circumuallationem, neque classem eorum timere æquum est. illam enim difficile est etiam in pacato, nedum in hostili agro urbem æqualem comparare, & cum nos contra æque, ac illi uallum obiecerimus. quod si præsidio locum aliquod munierint, regionis quidem partem aliquam excursionibus, & transfugiis infestabunt; non tamen satis erit ad circumuallandum, atque ad nos impediendos, ne in eorum agros nauigemus, & ne nauibus, quibus ualemus, eos ulciscamur, plus enim nos habemus peritiæ

rerum terrestriũ ex nauticis, quàm illi rerum nauticarũ ex terrestribus. maritimæ vero rei vsus non facile ipsis accedet, neque enim hoc uos statim à rebus Medicis meditati adhuc perfecistis. quomodo igitur homines agricolæ, & non maritimi, & præterea qui ne meditari quidem permittentur, quia à nobis multis nauibus aßidue in statione obseruabuntur, dignum aliquid efficient? Etenim aduersus paucas naues in statione manentes etiam periculum adierint, si multitudine imperitiam corroborarint, multis autem impediti, quiescent, & nisi meditabuntur, imperitiores erunt, & propterea etiam ignauiores, res autem maritima artis est, si qua etiam alia, neque licet, cum casus tulerit, obiter meditari, sed potius nihil aliud in ea re obiter fieri. & si pecunias, quæ Olympiæ, aut Delphis sunt, auferentes, maiore, quàm nos stipendio peregrinos nautas subripere conarentur, si nos æquales non essemus, & ipsi cum inquilinis conscenderent, grauis admodum

res

res esset: nunc uero & hoc adest, & (quod optimum) gubernatores ciues habemus, & remiges plures, ac meliores, quàm tota reliqua Græcia; atque in periculo nemo peregrinorum probaret sua terra exulare, & minori cum spe ob magni stipendij paucorum dierum largitionem socios se iis certaminis adiungere. Ac res quidem Peloponnesiorum tales, ac similes mihi uidentur esse.

ATQVI &c. Ad facilitatem belli Peloponnesiaci suadendam difficultates aduersariorum in eo ipsis euenturæ superius ostendebantur; nunc quæ rationibus suis apta uidebantur, ponderantur, atque ea omnia partim confutantur, partim uero hominum opinione infirmiora redduntur: quæ autem à Lacedæmoniis timenda esse Atheniēsibus uidebātur, huius generis sunt: quòd urbi circumuallationē induxissent; quòd locum aliquem ad Athenas muniissent; quòd si aliquantisper in rei maritimæ studium incubuissent, in ea nihilo minus Atheniensibus formidabiles euasissent; ad extremum quòd pecuniis, quæ Delphis, Olympiæque depositæ seruabantur, ablatis, reliqua omnia imperitiæ maritimæ incom-

incommoda propulsaturi essent. Sed quando locus postulat, de aduersariorum criminibus, rationibusque infirmandis dicamus. Vt autem docet Aristoteles libro tertio Rhetoricorum. *In consultatione, & in iudicio, qui priore loco dicit, fides suas prius exponere, post autem contrariis occurrere soluendo, atque eleuando debet; qui uero posteriore loco dicit, prius contra aduersarii orationem dicere soluendo, & sylgismum opponendo debet, & maxime si approbata sint.* Pericles mediam viam iniuit; in medio enim orationis id præstat. quem dispositionis ordinem à Demosthene in secunda Olynthiaca seruatum perspicimus, qui & ipse in media oratione, quæ Philippo accommodata uidebantur, similiter infirmat, eaque nulla esse omnino, immo uero plurima contra illum ualere conatur ostendere. Quare ex Aristotele πρὸς ἀντίδικον, breuisq; confutatio quædam hæc particula merito appellanda uidetur. quæ etiam ipsa ad fidem reducenda est; nihilo minus enim ea argumenta, quæ ad refellendum, quàm ea, quæ ad affirmandum, adducuntur, probationes nostræ sententiæ existimanda sunt. id quod cum Aristotelis in tertio Rhetoricorum præceptum sit, à Quintiliano tamen accusatur. at illud Cicero sæpius confirmauit; nam in Partitionibus ea,

quæ

quæ ad fidem faciendam pertinent, in confirmationem, reprehensionemque diuisit. atque in secundo de Oratore Antonius sic testatur. *Tunc suggerenda sunt firmamenta caussæ coniuncte & infirmandis contrariis, & tuis confirmandis: nanque una in caussis ratio quædam est eius orationis, quæ ad probandam argumentationem ualet; ea autem & confirmationem, & reprehensionem quærit: sed quia neque reprehendi, quæ contra dicuntur, possunt, nisi tua confirmes, neque hæc confirmari, nisi illa reprehendas, icirco hæc & natura, & utilitate, & tractatione coniuncta sunt.* Verum iam pulcherrimam hanc concionis partem industria nostra, quoad assequi possumus, expoliamus. Est autem ea uniuersa tractata διὰ τὴν πρότασιν, ἀντιπρότασιν, ὑποφορὰν, καὶ ἀνθυποφορὰν, uel saltem horum aliquot, si modo Hermogenis consuetudinem sequamur. quòd si Aristotelis, atque Ciceronis auctoritate stare uoluerimus, partim quidem negando sumptiones ueras esse, partim uero negando id, quod deducebatur, ex iis sequi, partim denique obiectione in contrariam partem afferenda. his enim omnibus modis à summis illis rhetoribus argumentis aduersariorum resistendum esse præcipitur.

ATQVI NEQVE CIRCVMVALLATIONEM, NEQVE CLASSEM EORVM TIMERE

RE ÆQVVM EST. Ἀντιπρότασις, quæ duabus oppoſitis difficultatibus obiicitur: quarum priori ſtatim ἀνθυποφορὰν, poſteriori uero paullo inferius opponet.

ILLAM ENIM DIFFICILE &c. ἀνθυποφορὰ prioris difficultatis. ei autem, neglecta aduerſariæ oſtenſionis probatione, ſyllogiſmi tantum contrarii concluſione infirmanda, reſiſtit; oratores enim eo, quod auditor uulgaris ſit, nec ſubtilis diſputationis intelligens, non minus ſæpe concluſiones, quàm propoſitiones refellendas ſuſcipiunt: magis enim concluſio in auditorum memoria reſidet, quæ ſi confutata fuerit, uniuerſam argumentationem ſolutam eſſe arbitrantur. Lacedæmonios autem Athenarum urbi circumuallationem inducturos, haud credibile, uериſſimileque eſſe ex loco à comparatione maioris, oſtendit. nam, ut ex Ariſtotele expreſsit Antonius in ſecundo de Oratore, *omnium rerum in contrarias partes facultas ex iiſdem ſuppeditatur locis*. id autem mirum nemini uideri debeat, ſiquidem, ut demonſtrat etiam Ariſtoteles, oratorii ſyllogiſmi ex probabilibus, uerisimilibuſq; conſtant, horum autem multa inter ſe contraria ſunt. Locus autem hic comparationis eſt ualde oratorius, ut qui nihil, uel parum habeat firmitatis,

tatis; sed probabilitatis plurimum. Comparatio uero tres habet gradus, aut enim cum maiori comparamus, aut cum minori, aut cum pari, unde tres emanant loci, à maiori, à minori, à pari. Meminit horum locorum Cicero in secundo de Oratore, & in Topicis, meminit item Aristoteles in Topicis, & Rhetoricis. diuersi tamen hi inter se fuerunt. Aristoteles uoluit à maiori tantum negando ualere, à minori affirmando, ac maximas has dedit, loci à maiori: si quod magis uidetur esse, non est, nec quod minus; à minori: si quod minus uidetur esse, & quod magis. At Cicero in Topicis has maximas diuersas prodidit, unam à maiori, quod in re maiore ualet, ualeat in minore, alteram à minori, quod ualet in re minore, ualeat in maiore.

QVOD SI PRÆSIDIO LOCVM ALIQVEM MVNIERINT &c. Huic alteri criminationi ea, quæ inde sequi incommoda dicebantur, refellendo contradicit, orationemque etiam permissionis figura exornat; concedit enim ea, quæ ab illis sumebantur fieri posse, ut castellum scilicet muniatur, & aliquibus Athenienses incommodis afficiantur, at quæ deinceps addebantur, inde fore, ut mari arcerentur, & quod neque se defendere, neque hostes ulcisci ullo

pacto possent, ea sane euentura inficiatur. quam tamen unam eius urbis obsidendæ rationem fuisse euentus deinceps comprobauit. nam cum Lacedæmonii Deceliam oppidum Alcibiadis exulis impulsu communissent, Athenienses fame, aliisque compluribus incommodis afflixerunt. Hæc partim apud Thucydidem ultimo libro, partim uero in primis Xenophontis libris de rebus Græcis scripta reperiuntur.

Maritimæ vero rei vsvs non facile ipsis accedet &c. Nunc accedit ad confutationem eius rationis, quæ erat de Lacedæmoniorum classe metuenda, ab initio propositæ. quæ in eo nitebatur, quod si aliquandiu rei maritimæ studuerint, exercitatione, & ipsi eiusdem periti, cito euaderent. hoc enim inter ceteras spes futuræ uictoriæ, & Corinthiorum legati Lacedæmoniis proposuerant hoc eodem libro. Huic igitur Pericles in uniuersum occurrit.

Neqve enim hoc vos statim a rebvs Medicis meditati adhvc perfecistis. Ἀνθυποφορὰ sumpta à comparatione Atheniensium, & Lacedæmoniorum, à maiori uidelicet.

A rebvs Medicis meditati. Videlicet

delicet tempore belli Persici Xersis, à quo usq; ad id tempus decem, & septem Olympiades extiterant; res autem in hunc modum administrata est. Cum Xerses rex Persarum Hellesponto ponte iuncto, Athoque monte perfosso cum maximo exercitu, & ingenti classe traiecisset in Græciam, Athenienses Themistoclis consilio Athenis relictis, translatisque pueris, & mulieribus in Salaminem, rei maritimæ studio se penitus dediderunt; unde & Barbarum profligarunt, & Græciam liberarunt, & Græcorum imperium à Lacedæmoniis ad se transtulerunt.

QVOMODO IGITVR HOMINES AGRICOLÆ &c. Auget comparationem, Lacedæmoniorum imperitiam Atheniensium peritiæ opponendo; atque ut uehementior etiam tota argumentatio appareat, interrogatione eandem exornat.

AGRICOLÆ, ET NON MARITIMI. Contrariorum plenam effecit orationem, ualent enim ad orationem uehementem, incitatamq; reddendam. Maritimos autem dumtaxat homines ad rem naualem in primis idoneos esse confirmarūt etiam Corcyræi legati apud Athenienses hac eadem Thucydidis historia.

ETENIM ADVERSVS PAVCAS NAVES

IN STATIONE MANENTES ETIAM PERICVLVM ADIERINT, &c. Quemadmodum fecit Cnemus ipſorum dux, qui, ut in ſecundo harum hiſtoriarum libro ſcriptum eſt, multitudine nauium fretus auſus eſt Atheniēſium claſſem prœlio laceſſere, à qua tamen ſuperatus eſt.

RES AVTEM MARITIMA ARTIS EST, SI QVA ETIAM ALIA, NEQVE LICET; CVM CASVS TVLERIT &c. Hoc cum optime nouerint ſapientiſsimi noſtræ reipublicæ Senatores ſuperioribus etiam his annis, quibus reſpublica ſummo ocio, ac optatiſsima pace uſa eſt, nihilo minus claſſem continēter habuerunt; ut & duces, & nautæ, atque remiges exercerentur, ne poſteà tunc, cum caſus tuliſſet, obiter id meditari cogerentur. quin etiam à maioribus noſtris hac de cauſſa id, quod à diuino uiro Cardinali Contareno adeo celebratur, inſtitutum fuit, ut in unaquaque armata triremi ſtipendium duobus adoleſcentibus patricii ordinis præberetur: qua lege diuine ſanè iuuentutis exercitationi conſultum uidetur in ea arte, ex qua ſcilicet & imperium, & gloria tanta à noſtris maioribus nobis parta eſt.

ET SI PECVNIAS &c. Ad ultimam dubitationem

tationem pluribus afferendis obiectionibus respondet. Obiectiones uero, ut docet Aristoteles Rhetoricorum, atque Priorum Analyticorum libris secundis, quadrifariam afferuntur, *aut à se, aut à simili, aut à contrario, aut à iudicatis*. De iisdem etiam illud præcipit in Rhetoricis, *quòd quoties aduersaria enthymemata ex uerisimilibus ducta fuerint, dupliciter obiectione afferenda, licet illa dissoluere: alia enim adumbrata, & non perpetuo uera dissolutio est, quoties quis non obiicit, uerisimile non esse, sed tantum necessarium non esse; altera uero, quæ proprie, atque diserte argumentum soluit, quando quis non modo necessarium non esse, uerum etiam uerisimile non esse ostendit*. Periclis obiectiones non modo necessitatem, sed etiam uerisimilitudinem aduersariæ argumentationis tollunt, sumunturque omnes ab ipsa re.

ET SI PECVNIAS, QVÆ OLYMPIÆ, AVT DELPHIS SVNT, AVFERENTES, MAIORE, QVAM NOS STIPENDIO &c. Hoc est, quod Corinthii in adhortatione ad præsens bellum apud Lacedæmonios hoc eodem libro afferebant. *Classem autem, qua illi præstant, supplebimus, tum priuatis facultatibus pro rata parte, tum ex pecunia, quæ in Delphis est, atque Olympiæ. mutuati nanque pecuniam possumus peregrinos*

illorum

illorum nautas maiori mercede conducere. quo etiam in loco qua ratione peregrini essent Atheniensium nautæ, exponit. *mercenariæ enim*, inquit, *magis, quàm uernaculæ sunt Atheniensium copiæ*.

SI NOS ÆQVALES NON ESSEMVS &c. Prima obiectio, qua æqualem Atheniensium potentiam, ac parem pecuniarum in comparandis nautis copiam facultati Lacedæmoniorum, de pecunia Delphis, Olympiæque deposita auferenda opponit.

ET HOC ADEST. Quod scilicet nos, qui eis æquales sumus, aduersarios habent.

ET (QVOD OPTIMVM) GVBERNATORES CIVES HABEMVS, ET REMIGES PLVRES &c. Altera obiectio sumpta ab eo, quòd in ea ipsa re superiores Athenienses essent. quanta autem nauticorum hominum Athenis copia fuerit licet uel in primis ex eo colligere, quòd horum hominum, ut & Plutarchus in Solone, & Hærodotus è memoriæ prodiderũt, tertia pars ciuitatis erat; Cranaus enim in montanos, campestres, & maritimos populum Atticum diuisit; quæ quidem sæpius tristis discordiarum, & seditionum intestinarum fuit materia. Itaque etiam Themistocles, cui omne rei maritimæ decus Athenis prudentum omnium consen-

consensione debetur, inquilinos, & artifices omnes immunitate donauit, ut nautica turba spe præmiorum undique confluente res naualis uberior, ac firmior redderetur. Pericles autem, gloriæ Themistoclis æmulus, illud præterea aliquot post annis, quod narrat Plutarchus, adiecit, ut qui naues conscendissent, per octo mensium spatium stipendium ferrent, & quidem, ut Thucydides historiæ octauæ mandauit, ternorum in dies singulos obolorum.

ATQVE IN PERICVLO NEMO PEREGRINORVM &c. Postrema obiectio, quæ allatæ dubitationi directe, atque in uniuersum se opponit, nec uerisimilem eam ullo pacto esse ostendit.

AC RES QVIDEM PELOPONNESIORVM TALES, AC SIMILES MIHI VIDENTVR ESSE. Μερικὸς ἐπίλογος ad attentionem, docilitatemque accommodatißimus.

ΤΑ' δὲ ἡμέτερα τούτων τε, ὧνπερ παρ' ἐκείνοις ἐμεμψάμην, ἀπήλλακται, καὶ ἄλλα οὐκ ἀπὸ τοῦ ἴσου μεγάλα ἔχει. ἤν τ' ἐπὶ τὴν χώραν ἡμῶν πεζῇ ἴωσιν, ἡμεῖς ἐπὶ τὴν ἐκείνων πλευσούμεθα, καὶ οὐκέτι ἐκ τοῦ ὁμοίου ἔσται, πελοποννήσου τε μέρος τι τμηθῆναι, καὶ τὴν ἀττικὴν ἅπασαν. οἱ μὲν γὰρ οὐκ ἕξουσιν ἄλλην ἀντιλαβεῖν ἀμαχεί, ἡμῖν δὲ ἐστὶ γῆ πολλὴ καὶ ἐν νήσοις, καὶ κατ' ἤπειρον, μέγα γὰρ τὸ τῆς θαλάσσης κράτος. σκέψασθε δέ, εἰ γὰρ ἦμεν νησιῶται, τίνες ἂν ἀληπτότεροι ἦσαν;

NOstra uero tum ab iis, quæ apud illos accusaui, liberæ sunt, tum uero alia magna non ex æquo habent. & si nostrum in agrum terra processerint, nos in illorum nauigabimus; neque amplius ex æquo erit, Peloponnesi partem uastari, ac totam Atticam; illi enim alium parare sine pugna non poterunt, nobis uero ager multus adest & in insulis, & in continenti, magnum enim est maris imperium. Attendite uero, si enim insulani essemus, qui nam ad capiendum minus faciles essent?

NOSTRÆ VERO &c. Nunc transit ad uires Atheniensium considerandas: quæ nam autem oratori de iis, quibus consilium dat, uidenda sint, reperiuntur apud Aristotelem libro secundo Rhetoricorum. *Quomodo suadere Atheniensibus possemus, ut bellum susciperent, aut secus, nisi teneremus, quæ copiæ illorum essent, utrum nauales, an pedestres, an utrunque, & ipsæ quantæ, & uectigalia quæ, aut amici, aut inimici, præterea uero quàm multa bella gessissent, & quo pacto, & alia eiusmodi.* Ex his autem ferè Pericles Athenienses meliori conditione futuros demon-

demonstrat. quæ omnia ad belli facilitatē ostendendam spectant. ad hanc autem illustrandam, atque augendam comparationem eorum, quæ ad hoc bellum conficiendum Atheniensibus, Lacedæmoniisque aderant, adhibuit. *est enim comparationis, magnitudinisque ratio*, quemadmodum iudicat Aristoteles, *omnium orationum communis, quia amplificatione, & imminutione omnes utuntur, & qui suadent, aut dissuadent, & qui laudant, aut uituperant, & qui accusant, aut defendunt*. Est autem pulcherrimus comparationis locus apud Demosthenem ad epistolam Philippi. immo uero ex hoc loco ea omnis ferè oratio ducta uidetur. diligentissime uero etiam Archidamus ad hoc bellum dissuadendum multo plura, melioraque Atheniensibus affutura per comparationem demonstrat. atque hæc quidem omnia ferè, quæ per comparationem ostenduntur, ex loco præterea ab adiunctis, siue consequentibus, atque à caussis efficientibus, simulque à comparatione uel maioris, uel minoris, uel paris solent hauriri. unde & præsentem tractationem haustam esse manifeste apparet.

NOSTRÆ VERO TVM AB IIS, QVÆ APVD ILLOS ACCVSAVI, LIBERÆ SVNT, TVM VERO ALIA MA-

gna non ex æqvo habeamvs. Pendent hæc à partis superioris conclusione. est autem hæc transitio, atque propositio, quæ in medio orationis maximam uim ad attentionem parandam habere consueuit. Attingit autem in his duos firmissimos amplificationis locos ab Aristotele libro primo de arte dicendi in tractatione de maiori, ac minori bono expositos. nam si *quæ pluribus, maioribusque malis priuata sunt, & quæ plura, maioraque in se bona continent, ea etiam maiora bona sunt*, res sane Atheniensium eò quòd & iis incommodis, quæ Lacedæmoniis adesse demonstrata sunt, carent, & aliis multis præsidiis, ac commoditatibus, quæ nunc à Pericle ostendentur, suffultæ sunt, longe superiores, melioresq; iis Lacedæmoniorum esse manifestum est. hæc autem etiam ex iis, quæ in definitione maioris, & eius, quod superat, ab Aristotele tradita sunt, eodem pacto colliguntur.

Et si nostrvm in agrvm terra processerint, nos &c. Prouidet rationem belli gerendi, qua Lacedæmonii, & qua Athenienses usuri sunt, atque in eo longe meliori conditione Athenienses futuros ex comparatione colligit. Nam Lacedæmonii quidem terra tantum Atheniensem agrum, Athenienses uero

ro

ro classe quoque Peloponnesum uastabunt, qua in re certe multo superiores Athenienses erunt; Lacedæmoniis enim nulla alia terra, unde hostium damna resarciant, supererit: at uero Athenienses multas præterea insulas, atque ciuitates in Thracia, Macedonia, aliisque locis habebunt, unde res necessariæ classe ipsis suppeditentur. pulcherrima sane, atque ex rhetorum omnium præceptis, suæ, hostiumque uirium, atque belli futuri generis consideratio.

NOBIS VERO AGER MVLTVS ADEST ET IN INSVLIS, ET IN CONTINENTI. Hæc confirmat Archidamus apud Lacedæmonios, indeque rationes, uel in primis ad bellum dissuadendum petit his uerbis. *Confidat fortasse aliquis, quod & armis eos, & hominum multitudine antecellimus, adeo ut terram eorum peragrantes uastare possimus: atqui illis alia multa terra superest, atque ea, quibus indigebunt, mari importabunt.*

MAGNVM EST ENIM MARIS IMPERIVM. Thucydides in præfatione harum historiarum cum de Græcis, quæcunque floruerunt, ciuitatibus dissereret, earum potentiæ præcipuam caussam maritimæ rei studium fuisse demonstrat, ita ut quæcunque in illud incubuerint fere omnes diuitiis, imperioq; præstiterint.

Athenienſes uero neceſsitate in primis coa-ctos ad eam artem ſe applicuiſſe ſcribit. cum enim ſterilis Attica eſſet, dum facile reliquæ partes incolarum migrationem paterentur, eam iidem paratam diu homines incoluerunt. quare cum hominum numero ſupra modum creuiſſet, nauigatione ſibi uictum comparare coacta eſt. atque eo pacto huius peritia inter ceteros ſibi, & imperium, atque gloriam deinceps tantam pepererunt. Hacque etiam de cauſſa Neptuni præcipue numen coluerunt. nam, ut narrat Apollodorus in iis libris, quos de Deorum origine ſcripſit, cum Diis placuiſſet, urbes eas, in quibus priuatos quiſque habituri eſſent honores, occupare, Neptunus ſe in Actam contulit, percuſſoque tridente mare inde produxiſſe fertur. Quare quemadmodum in reipublicæ adminiſtratione, ita etiam in eius artis ſtudio, & exercitatione ſimillima eius reſpublica noſtra uidetur eſſe. Iis autem temporibus quanta eſſet mari Athenienſium potentia explicat Pericles in altera ſecundi libri concione, ubi ſic loquitur. *Vos Athenienſes, ueſtris modo ſociis imperare arbitramini: ego uero illud defendo, cum duo ſint omnino, quæ perſpicuum habeant uſum, mare ſcilicet, & terra; alteri uos uniuerſo domina-*

ri,

ri, non modo quoad tenetis nunc, uerum etiam quoad progredi uoletis; tanta enim nauium facultate nauigantes, uos non rex, non ulla alia natio est, quæ impedire hoc tempore poßit. Sed de commoditatibus, ac fructibus, quos ex imperio maris Athenienses ferebant, plurima sunt in libro de ipsorum republica à Xenophonte conscripta.

ATTENDITE VERO, SI ENIM INSVLANI &c. Eadem ferè & Xenophon de eisdem his verbis. *Sed unum Atheniensibus deest. nam si insulam habitantes mare tenerent Athenienses, liceret eis damnum inferre, si uellent, neque tamen pati, quandiu maris imperium obtinerent, ut neque ipsorum fines uastarentur, neque hostes admitterent.* Mirabile autem est quantum fiduciæ hæc singulis ferè in uerbis particula contineat; prudentiamque, atque beneuolentiam præseferat.

Καὶ νῦν χρὴ ὅτι ἐγγύτατα τούτου διανοηθέντας, τὴν μὲν γῆν, καὶ οἰκίας ἀφεῖναι, τῆς δὲ θαλάσσης, καὶ πόλεως φυλακὴν ἔχειν, καὶ πελοποννησίους ὑπὲρ αὐτῶν ὀργισθέντας πολλῷ πλείοσι μὴ διαμάχεσθαι, κρατήσαντες τε γὰρ, αὖθις οὐκ ἐλάσσοσι μαχούμεθα, καὶ ἢν σφαλῶμεν, τὰ τῶν ξυμμάχων, ὅθεν ἰσχύομεν, προσαπόλλυται, οὐ γὰρ ἡσυχάσουσι μὴ ἱκανῶν ἡμῶν ὄντων ἐπ᾽ αὐτοὺς στρατεύειν, τήν τε ὀλόφυρσιν μὴ οἰκιῶν, καὶ γῆς ποιεῖσθαι, ἀλλὰ τῶν σωμάτων: οὐ γὰρ τάδε τοὺς ἄνδρας, ἀλλ᾽ οἱ ἄνδρες ταῦτα κτῶνται. καὶ εἰ ᾤμην πείσειν ὑμᾶς καὐτοὺς ἂν ἐξελθόντας. ἐκέλευον αὐτὰ δῃῶσαι, καὶ δεῖξαι

πελοπον-

πελοποννησίοις, ὅτι τούτων γε ἕνεκα οὐκ ὑπακούσεσθε. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἔχω ἐς ἐλπίδα τοῦ περιέσεσθαι, ἢν ἐθέλητε, ἀρχήν τε μὴ ἐπικτᾶσθαι, ἅμα πολεμοῦντες, καὶ κινδύνους αὐθαιρέτους μὴ προστίθεσθαι. μᾶλλον γὰρ πεφόβημαι τὰς οἰκείας ἡμῶν ἁμαρτίας, ἢ τὰς τῶν ἐναντίων διανοίας. ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν καὶ ἐν ἄλλῳ λόγῳ ἅμα τοῖς ἔργοις δηλωθήσεται. νῦν δὲ τούτοις ἀποκρινάμενοι, ἀποπέμψωμεν. μεγαρέας μὲν ὅτι ἐάσομεν ἀγορᾷ καὶ λιμέσι χρῆσθαι, ἢν καὶ λακεδαιμόνιοι ξενηλασίας μὴ ποιῶσι, μήτε ἡμῶν, μήτε τῶν ἡμετέρων ξυμμάχων, οὔτε γὰρ ἐκεῖνο κωλύει ἐν ταῖς σπονδαῖς, οὔτε τόδε. τὰς δὲ πόλεις ὅτι αὐτονόμους ἀφήσομεν, εἰ καὶ αὐτονόμους ἔχοντες ἐσπεισάμεθα, καὶ ὅταν κἀκεῖνοι ταῖς ἑαυτῶν ἀποδῶσι πόλεσι, μὴ σφίσι τοῖς λακεδαιμονίοις ἐπιτηδείως αὐτονομεῖσθαι, ἀλλὰ αὐτοῖς ἑκάστοις, ὡς βούλονται. δίκας δὲ ὅτι ἐθέλομεν δοῦναι κατὰ τὰς ξυνθήκας, πολέμου δὲ οὐκ ἄρξομεν, ἀρχομένους δὲ ἀμυνούμεθα. ταῦτα γὰρ δίκαια, καὶ πρέποντα ἅμα τῇδε τῇ πόλει ἀποκρίνασθαι.

ET nunc oportet his ſimillima cogitantes, terram quidem, ac domos relinquere, maris autem, & ciuitatis cuſtodiam habere; nec cum Peloponneſiis his de rebus iratos multo pluribus decertare; etenim ſi uicerimus, rurſus cum haud inferioribus pugnabimus, & ſi bello offenderimus, ſocij, unde ualemus, interibunt; neque enim quieſcent, cum nos haud ſatis ualidi ſimus ad exercitum contra eos adducendum; & lamentationem non ædificiorum, & agri ſuſcipere,

ſed

ſed corporum; neque enim hæc uiros, ſed uiri hæc poßident. & ſi putaſſem me uobis perſuaſurum, iußiſſem, ut uos ipſi egreßi hæc uaſtaretis, & Peloponneſiis oſtenderetis, uos horum cauſſa non eſſe obedituros. Multa etiam alia habeo in ſpem parandæ uictoriæ, ſi uolueritis & imperium non acquirere ſimul bellando, & pericula ultro non adire. plus enim horreo domeſtica noſtra errata, quàm aduerſariorum conſilia. ſed illa in alia oratione ſimul cum factis iudicabuntur. Nunc uero illos dato hoc reſponſo dimittamus; nos Megarenſes foro, & portubus uti permiſſuros, ſi & Lacedæmonij peregrinorū exactiones non faciant neque noſtri, neque ſociorum noſtrorum, neque enim illud impedimento eſt in fœderibus, neque hoc; ciuitates autem nos liberas dimiſſuros, ſi & liberas habentes fœdus iecimus, & quando illi etiam ſuis ciuitatibus reddiderint, non ut liberæ ſint pro Lacedæmoniorum arbitratu, ſed ut ſinguli eorum uelint. & nos voluiſſe iudicium dare

ex

ex fœderibus, neque bellum incœpturos, incipientes autem vlturos. hæc enim iusta, & conuenientia sunt huic ciuitati, quæ respondeantur.

ET NVNC OPORTET &c. Posteaquam rationes, quæ ad sententiam suam de non cedendo Peloponnesiis confirmandam ualebant, exposuit, atque iis bellum honestum, necessarium, facileque fore demonstrauit; nunc suum modo de ratione belli gerendi consiliũ aperit, simulq; ea, quæ Peloponnesiorum postulatis respondenda sint, explicat. Ac de bello quidem tria Athenienses consulit; ut terram, agrosque negligant; ut maris, ciuitatisque custodiam habeant; & ne cum Lacedæmoniis terrestre prœlium committant. cum uero ad ea, quæ legatis respondenda sunt, uenit, ea singula breuiter, elegantissimeque confirmat. Et hæc quidem omnia uicem quodammodo perorationis, qua ferè carent conciones, uidentur habere. nam & reliquos etiam oratores plerunque uidemus, ubi rationes, argumentaque satis idonea ad suam caussam attulerunt, tunc demum sententiam suam de uniuersa re proposita inferre, ue-

luti Demosthenes, præsertimque in oratione περὶ τῶν συμμοριῶν, item Cæsar, & Cato apud Sallustium de coniuratione Catilinæ, nec non & Philippus in eiusdem libris historiarum, ut alios omittam plurimos & oratores, & historicos, præsertimque Thucydidem.

TERRAM QVIDEM, AC DOMOS RELINQVERE. Rura enim, atque uicos colebant plerique Atheniensium, domicilia, penates, templaque ibi habentes, id quod ex Græcarum personarum sermonibus apud comicos eruitur, ac Thucydidis testimonio comprobatur, qui ab initio libri secundi sub Cecrope, atque priscis illis regibus usque ad Thesea oppidatim Atticam habitatam, atque idem institutum à plerisq; suis etiam temporibus seruatum fuisse commemorat.

MARIS AVTEM, ET CIVITATIS CVSTODIAM HABERE. In quibus cum obedierint, etiamsi id moleste, & magna Periclis inuidia, ut est in secundo harum historiarum libro, Peloponnesios quidem magnis incōmodis continuo afflixerunt, & se contra Lacedæmonios acriter defenderunt.

NEC CVM PELOPONNESIIS MVLTO PLVRIBVS DECERTARE. Lacedæmonios si

terrestrem spectemus militiam, & militum numero, & peritia Atheniensibus præstitisse, ex multis Thucydidis locis licet perspicere. itaque hoc inter cetera præcipue assumebant Corinthii ad bellum suadendum. Plutarchus in Pericle sexaginta millia Peloponnesiorum Atticam primo inuasisse scriptum reliquit.

Etenim si vicerimus &c. Probatio primi consilii sumpta à loco consequentis contrariorum, de quo Aristoteles exemplum huic ualde simile tradidit in Rhetoricis. *Sacerdos quædam filium cum populo agere non sinebat, quia si iusta dixisset, in hominum offensionem incursurum, si iniusta, in Deorum, dicebat.* ita Athenienses pugnantes cum Lacedæmoniis, si uicti fuissent, res sociorum perituras, si uicissent, nihilo minus cum aliis non paucioribus pugnaturos.

Socii, vnde valemvs, interibvnt. De Atheniensium sociis, ac quomodo eos tributa sibi pendere coegissent, narrat Thucydides in præfatione harum historiarum; secundi uero libri initio sexaginta ea talenta quotannis fuisse etiam adiicit; sed de his uidendus est Xenophon, qui inter cetera, quæ ad eorum rempublicam pertinerent, hoc præsertim considerat.

Et

ET LAMENTATIONEM NON ÆDIFICIORVM, ET AGRI SVSCIPERE, SED &c. Pendent hæc à ſuperiori illo uerbo, *oportet*. Referuntur autem ad conſilium de negligendis domibus, & agris confirmandum. in quo etiam, eo quod res aſpera, duraque eſſe uidebatur, diutius oratione uerſatur, eamque ſententiis, moribus, & affectibus ornatiorem, uehementioremque mirabiliter reddit.

NEQVE ENIM HÆC VIROS, SED VIRI HÆC POSSIDENT. Grauiſsima, ac magnanimitatis plena ſententia, cui ſimile fuit dictum illud Themiſtoclis; qui cum ex procis filiæ uirum probum diuiti prætuliſſet, quibuſdam hoc admirantibus, *malo*, inquit, *uirum abſque pecunia, quàm pecuniam abſque uiro*. Nam quemadmodum ex Platonis Eryxia refert Stobæus χρήματα eo quod χρήσιμα ſint, dicta ſunt, adeo ut quibus uſui, utilitatique non ſunt, neque eorum eſſe exiſtimanda ſint. itaque Bion huiuſmodi homines nummulariis comparabat, qui egent iis pecuniis, quas habent, ita ut eis habere, & non habere ſimile ſit.

ET SI PVTASSEM &c. His uerbis fidelem, probum, magnanimum, reique publicæ amantiſsimum ciuem ſe mirifice oſtendit, populum

autem ſuimet exemplo ad pudorem, ad æmulationem, ad gloriamque impellit. nedum igitur affecta, ſed & moratiſsima hæc oratio eſt, cum præſertim & ſui, & populi Athenienſis præterea diligentiſsime ratio habeatur.

VT VOS IPSI EGRESSI HÆC VASTARETIS. Quemadmodum fecerant eorum patres in aduentu Xerſis, qui Themiſtoclis conſilio Athenienſi agro uaſtato pueros quidem, & mulieres in Salaminem inſulam tranſportarunt, ipſi uero naues conſcenderunt.

ET PELOPONNESIIS OSTENDERETIS, VOS HORVM CAVSSA NON ESSE OBEDITVROS. Archidamus Athenienſium agros, dum incolumes eſſent, à Lacedæmoniis obſidum loco habendos cenſebat. Pericles uerò in altera ſecundi libri concione indignum Athenienſi populo eſſe iudicat illorum cauſa à bello deterreri, eosque publicæ utilitati, dignitatiq; præferre. quin etiam cum Lacedæmoniorum exercitus Atticam ingreſſus aliorum agris uaſtatis, ipſius tamen parcere uideretur, eo conſilio, ut ſuſpectus, inuidioſuſque Pericles populo redderetur, de hoc ubi ſe ipſum in concione excuſauit, illos ſe in publicum referre, promptum fuiſſe denunciauit; cuius ſimile factum de Fabio

bio Maximo legitur etiam in Romanis historiis.

MVLTA ETIAM &c. Fiduciæ, pudoris, prudentiæque plena oratio, affecta igitur, atque morata.

IMPERIVM NON ACQVIRERE SIMVL BELLANDO. Hac eadem de re accusantur etiã à Nicia libro sexto harum historiarum, cui cum non paruissent, sed Siciliæ imperium affectassent, rempublicam penitus perdiderunt.

PLVS ENIM HORREO &c. Sic etiam sæpe Demosthenes apud eosdem Athenienses, se enim magis Atheniensium errores, quàm Philippi potentiam timere profitetur. quare in tertia Olynthiaca sic loquitur. *Quòd si relictis moribus istis militare uoletis &c.*

SED ILLA IN ALIA ORATIONE SIMVL CVM FACTIS INDICABANTVR. Demosthenes περὶ τῶν συμμοριῶν. *etiamsi nunc aliquid in oratione prætermisimus, id ipsa sibi res inueniet.*

NOS MEGARENSES FORO, ET PORTVBVS VTI PERMISSVROS, SI &c. Historia superius exposita est: ratio uero, qua responsi honestas elegantissime demonstratur, à quo loco accepta fuerit, aperiamus. is autem, si Aristotelis auctoritatem sequamur, proportio, sin

autem

autem ſuimet exemplo ad pudorem, ad æmulationem, ad gloriamque impellit. nedum igitur affecta, ſed & moratiſsima hæc oratio eſt, cum præſertim & ſui, & populi Athenienſis præterea diligentiſsime ratio habeatur.

Vt vos ipsi egressi hæc vastaretis. Quemadmodum fecerant eorum patres in aduentu Xerſis, qui Themiſtoclis conſilio Athenienſi agro uaſtato pueros quidem, & mulieres in Salaminem inſulam tranſportarunt, ipſi uero naues conſcenderunt.

Et Peloponnesiis ostenderetis, vos horum cavssa non esse obeditvros. Archidamus Athenienſium agros, dum incolumes eſſent, à Lacedæmoniis obſidum loco habendos cenſebat. Pericles uero in altera ſecundi libri concione indignum Athenienſi populo eſſe iudicat illorum cauſa à bello deterreri, eosque publicæ utilitati, dignitatiq; præferre. quin etiam cum Lacedæmoniorum exercitus Atticam ingreſſus aliorum agris uaſtatis, ipſius tamen parcere uideretur, eo conſilio, ut ſuſpectus, inuidioſuſque Pericles populo redderetur, de hoc ubi ſe ipſum in concione excuſauit, illos ſe in publicum referre, promptum fuiſſe denunciauit; cuius ſimile factum de Fa-

bio

bio Maximo legitur etiam in Romanis hiſtoriis.

MVLTA ETIAM &c. Fiduciæ, pudoris, prudentiæque plena oratio, affecta igitur, atque morata.

IMPERIVM NON ACQVIRERE SIMVL BELLANDO. Hac eadem de re accuſantur etiã à Nicia libro ſexto harum hiſtoriarum, cui cum non paruiſſent, ſed Siciliæ imperium affectaſſent, rempublicam penitus perdiderunt.

PLVS ENIM HORREO &c. Sic etiam ſæpe Demoſthenes apud eoſdem Athenienſes, ſe enim magis Athenienſium errores, quàm Philippi potentiam timere profitetur. quare in tertia Olynthiaca ſic loquitur. *Quòd ſi relictis moribus iſtis militare uoletis &c.*

SED ILLA IN ALIA ORATIONE SIMVL CVM FACTIS INDICABANTVR. Demoſthenes περὶ τῶν συμμοριῶν. *etiamſi nunc aliquid in oratione prætermiſimus, id ipſa ſibi res inueniet.*

NOS MEGARENSES FORO, ET PORTVBVS VTI PERMISSVROS, SI &c. Hiſtoria ſuperius expoſita eſt. ratio uero, qua reſponſi honeſtas elegantiſsime demonſtratur, à quo loco accepta fuerit, aperiamus. is autem, ſi Ariſtotelis auctoritatem ſequamur, proportio, ſin

autem

autem Ciceronis, ſimilitudo uidetur eſſe. neque vtrumuis approbemus, multum tamen intereſt; ſi modo illud à nobis intelligatur, tres eſſe locos, qui ualde inter ſe ſimiles ſunt, à proportione, à ſimilitudine, à pari; inter quos nulla alia eſt differentia, niſi quòd in proportione conſideratur ſimilitudo rationis, & reſpectus, quem res una aduerſus alteram habet, in ſimilitudine uero ſimilitudo qualitatis, ſimilia enim ſunt ea, quorum qualitas eſt una, & eadem, ſubſtantia uero diuerſa, at in paritate reſpicitur ſimilitudo quantitatis, quæ æqualitas dicitur. quanquam ſæpe hæc inter ſe à dicendi magiſtris confuſa ſunt. In Periclis argumento magna eſt certe rationis ſimilitudo, cum utraque eadem de cauſſa uel iuſta, uel iniuſta exiſtimanda pariter eſſe uideantur: Verum cum in eadem ratione obiectio, criminatioque à Lacedæmoniis in Athenienſes facta in eoſdem retorqueatur, ex loco præterea, qui ab iis, quæ, ex ſe dicta ſunt aduerſus eum, qui dicit, ab Ariſtotele in Rhetoricis appellatur, eadem ducta fuiſſe uidebitur.

Si et Lacedæmonii peregrinorum exactiones non faciant. Ex Lycurgi inſtituto uidelicet, de quo Plutarchus in eius uita, atque in libello de inſtitutis Lacedæmonio.

dæmoniorum. Xenophon ubi Lacedæmoniorum instituta explicat, idem confirmat, ubi uero Atheniensium, eos contra maxime hospitales fuisse commemorat.

CIVITATES AVTEM NOS LIBERAS DIMISSVROS, SI &c. Quæ etiam ad huius loci explationem spectant, in legatorum mandati, dum à Pericle accusabatur, expositione, declarauimus. loci uero iidem sunt, quibus & superior argumentatio tractata est.

ET NOS VOLVISSE &c. Hæc afferuntur ad caussam Atheniensium honestiorem, Lacedæmoniorumque turpiorem reddendam, est enim omnium fere ante, quàm bellum suscipiatur, consuetum, ut à se in aduersarios belli culpam conferant, itaque & Corinthii in Athenienses, & Athenienses in Corinthios eam in concionibus suis hoc eodem libro coniiciebant. atque Philippus rex ad Aetolos apud Liuium libro trigesimo secundo. *non enim à me, sed ab illis principium belli ortum est*. Demosthenes de Cheronesso. *maxime necessarium est ulcisci, qui nos priores bello lacessunt.*

HÆC ENIM IVSTA, ET CONVENIENTIA SVNT HVIC CIVITATI. Similiter fere claudit orationem suam Archidamus. *Hæc enim optima*

ma sunt, quæ consulantur, et inimicis formidabilia. eodem pacto Demosthenes περὶ συμμοριῶν. *Hæc & fieri possunt, Athenienses, & factu honesta sunt, & utilia, & digna, quæ regi de uobis nuncientur.* & Liuius in concione Appii Claudii libro quinto. *Hæc uirtute militum uestrorum, hæc Romano nomine digna sunt.*

Εἰδέναι δὲ χρὴ, ὅτι ἀνάγκη πολεμεῖν, ἢν δὲ ἑκούσιοι μᾶλλον δεχώμεθα, ἧσσον ἐγκεισομένους τοὺς ἐναντίους ἕξομεν: ἔκ τε τῶν μεγίστων κινδύνων ὅτι καὶ πόλει, καὶ ἰδιώτῃ μέγισται τιμαὶ περιγίγνονται. οἱ γοῦν πατέρες ἡμῶν ὑποστάντες μήδους, καὶ οὐκ ἀπὸ τοσῶνδε ὁρμώμενοι, ἀλλὰ καὶ ὑπάρχοντα ἐκλείποντες, γνώμῃ δὲ πλείονι ἢ τύχῃ, καὶ τόλμῃ μείζονι, ἢ δυνάμει τόν τε βάρβαρον ἀπεώσαντο, καὶ ἐς τάδε προήγαγον αὐτὰ, ὧν οὐ χρὴ λείπεσθαι, ἀλλὰ τούς τε ἐχθροὺς παντὶ τρόπῳ ἀμύνεσθαι, καὶ τοῖς ἐπιγιγνομένοις πειρᾶσθαι αὐτὰ μὴ ἐλάσσω παραδοῦναι.

Scire autem oportet, necessariũ esse bellum, quod si sponte magis suscipiemus, minus incumbẽtes hostes habebimus, & ex maximis periculis quòd & ciuitati, & priuato maximi honores adsunt. atqui patres nostri Medos sustinentes, neq; à tantis rebus profecti, sed etiam ea, quæ aderãt, relinquentes, animo uero maiore, quàm fortuna, & audacia maiore, quàm potentia, & Barbarum propulsarunt; & ad hæc deduxerũt; in quibus inferiores esse

nõ oportet, sed inimicos quacunq; ratione ulci sci, et posteris conari hæc nõ inferiora tradere.

SCIRE AVTEM &c. Quàm affecta, mórata, enthymematicaque in primis hæc omnis oratio sit, ex singulis expositis partibus iã perspicuũ est; ita út merito ipsam à Diony. Halicarnasseo adeo celebratam fuisse fatẽdum sit. uerum hæc omnia in præsenti particula multo maiora, illustrioraq; elucent. quã fidei subiiciendam putaui, cum aliarum multarum concionum exẽplo adductus, in quibus nihil aliud in extremo, quam consilii expositio reperitur, tum etiam ratione permotus, quia in ea rationum repetitio, quæ perorationis proprium munus, ut etiam procemii sententiæ propositio est, non satis appareat. sed in eà tamẽ quin pleraq; eorũ, quæ de peroratione à dicendi magistris præcipiũtur, existant, negari nõ potest.

SCIRE AVTEM OPORTET NECESSARIVM ESSE BELLVM. Argumenta, quæ firmissima sint, in principio suasionis collocanda, & quæ excellant ad perorãdũ seruanda esse præcipit Cic. in secundo de Orat. quo in libro necessitatem ad persuadendum, immò uero ad cogendum auditorem in cõsultatione maxime ualere etiam docet. quæ utraq; præcepta in hac concio-

ne diligenter adhibita possumus obseruare. nam & in principio, & in fine ab eo, quod est necesse, argumenta hauriuntur.

Qvod si sponte magis svscipiemvs, minvs incvmbentes hostes habebimvs. Sumpta hæc est ratio à consequenti, nec est ea omnino dissimilis à superiori, cum dicebatur; *quòd si repugnaueritis planum eis facietis, ut ex æquo uobiscum se magis gerant*. similis etiam sentẽtia, eaq; similitudine pulcherrima exornata reperitur apud Demosthenem in prima Olynthiaca. *Quis uestrum, Deũ immortalem, adeo socors est, qui nesciat bellum inde ad nos uenturum, si neglexerimus? uerum id, si fiet, uereor, ne ad eundem modum, ut qui facile pecuniã magno fœnore sumunt, atq; illa paullisper locupletati, post etiã patrimoniis euertuntur, sic & nobis &c.* id quod transtulit etiam Philippus apud Sallustium libro primo historiarum. *Et quanto mehercules auidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit*. Cicero quoq; in septima Philippica. *Si pace frui uolumus, bellum gerendum est. si bellum omittemus, pace nunquam fruemur*.

Et ex maximis periculis quod et civitati, et privato maximi honores adsint. Honestatis modo, gloriæq; finem proponit, quo nihil optabilius, præsertim in clara ciuitate esse solere tradit Cic. in Oratore.

eius

eius autem uel in primis auidum fuisse populũ Atheniensem narrat Plutarchus in Præceptis Politicis.quod igitur ad auditorem pertinet,morata hæc oratio censenda est,itemq; etiam quod ad oratorem:nemini enim magis,quàm Pericli grauissimæ,magnanimitatisq;,ac fortitudinis plenæ huiusmodi sententiæ conueniunt;quæ quantam uim ad populum ad præclaras res agendas accendendum, ac inflamandum habeant, incredibile dictu est: affecta igitur etiam nihilo minus hæc oratio uidetur.Est autem hæc celeberrima sententia,unde illud Epicharmi etiã dictum emanauit. *Laboribus omnia bona à Diis nobis uendi*. atque illud Hesiodi. *Virtutem posuere Dei sudore parandam*.

ATQVI PATRES NOSTRI &c. *Exempla*, inquit Aristoteles, *aptißima sunt concionibus*, quod idem etiam tradidit Quintilianus capite de Suasione.Cicero in secundo de Oratore. *Qui ad dignitatem impellet, maiorum exempla,quæ erunt uel cum periculo gloriosa colliget,posteritatis immortalem memoriam augebit*. rursus Arist.primo Rhetoricorum.*De bello consulenti necesse est domestica bella notasse,quem euentum habuerint,quia natura comparatum est,ut similia ex similibus oriantur*,uel ut Sallustius, *quia quæ semel acciderunt,rursus possunt accidere*. Optime igitur Pericles, qui ad populum Atheniẽsem ad gloriã, decusq;

incitandum domestica bella commemorans ipsorum patrum exemplis utitur. atque ea etiam quo maiorem uim habeant comparatione maiorum imbecillitatis cum præsentium opibus exornat. contrariorumq; præterea plenam efficiens orationem, iisdem robur, uehemẽtiamq; addit.


Medos svstinvervnt. &c. Videlicet ad Salaminem, cuius historiam exposuimus, eius uero plenæ omnes sunt Græcorum oratorum orationes, unde etiam, ut Cicero quoque de Officiis, *rhetorum campus extitit*.

In qvibvs inferiores &c. Comparatio ad permouendos, incitandosq; animos maxime apposita, eaq; ideo sæpius ab oratoribus usurpata. Demosthenes in extrema tertia Olynthiaca. *neque cedere debetis statione uirtutis, Athenienses, quam uobis maiores magnis periculis partam reliquerunt.*

Idem etiam Pericles libro secundo *nec uero committamus, ut utraque in re inferiores, quàm patres nostri fuerunt, deprehendamur.*



ANTONII ZENI IN M. LEPIDI CONCIONEM PRAEFATIO.



VNC uero tempus est, ut idem artificium, sic enim suscepimus, à Sallustio in Lepidi cõcione adhibitum ostendamus. Ceterum de Sallustio, qui Thucydidis æmulus, imitatorque studiosissimus fuit, eadem prope quæ de Thucydide dici possunt. vt omnium consensu primas inter historicos Latinos obtinuisse, sic multorum maledictis, ac reprehensionibus laceratum esse. quibus & uerba, & sententiæ, & nimium in concionibus scribendis studium eius notatum est. Eorum autem, quæ ipse scripsit, quantum accepimus hæc tria genera sunt, Coniuratio Catilinæ, Bellum Iugurthinum, atq; Historiæ. reliqua duo habemus integra, Historias amisimus, quatuor tantũ concionibus exceptis, ac duabus epistolis. hoc autem nomine ornatum fuisse illum librum, testes sunt Grammatici veteres, Donatus, Priscianus, Marcellus, Gellius, qui quoties sententiam suam confirmant exem- *De Sallustio.*

plis

plis ex hoc libro depromptis, Salluſtium teſtem primo, aut ſecundo libro Hiſtoriarum, adhibēt, quod idem facit etiam Auguſtinus in libro de Ciuitate Dei. in hoc autem libro inſcribendo Thucydidem uidetur, ut & in pleriſque aliis eſſe imitatus; ille enim etiam librum ſuum appellauit τὴν συγγραφήν: eſt autem συγγραφή, ut eo loco tradit interpres, accuratior quædam, ac diligentior ſcriptio: aut certe Latinum aliquem eſt ſequutus, ut Cælium Antipatrum, qui ſuum librum pari ratione Hiſtorias nominauit, quod ex ueteribus Grammaticis eadem ratione perſpicitur. Quot autem libri earum Hiſtoriarum fuerint, haud ſatis exploratum eſt. Nonius Marcellus etiam noni libri mentionem facit. His autē hiſtoriis uidetur eſſe complexus occupatam à Sylla Rempublicam, Catuli, & Lepidi ſeditionem, Bellum Sertorii, Bellum Mithridaticum; ceteraq;, quæ illis temporibus domi, foriſq; memorabilia geſta ſunt. ac belli quidem Sertoriani locupletiſsimi teſtes eſſe poſſunt Macrobius, & Gellius, & Marcellus, apud quos uerba etiam quædam Salluſtii ad illam hiſtoriam pertinentia conſeruata ſunt; Gellius etiam ex quarto libro uerba aſcribit, in quibus agitur de Cn. Lentulo, qui legem promulgauit de pecunia, quam Sylla

bonorum

bonorum emptoribus remiserat, exigēda. quod paucis post Syllæ mortem annis est factum. Cetera cum exempla Grammaticorum comprobant, tum maxime conciones, & epistolæ eæ, quæ solæ ex totius historiæ iactura uix seruatæ sunt. sunt autem mancæ multis in locis, ac deprauatæ. Cum autem hanc Lepidi concionem explicaturi simus, placet, ut supra de Pericle diximus, sic nunc de Lepido disputare.

Hic ergo M. Lepidus eius M. Lepidi pater est, qui Triumuir fuit reipublicæ constituendæ; cui sententiæ ueteres Consulum Fasti assentiuntur, qui Triumuirum appellant M. F. Q. N. hunc au tem Q. F. Hunc ferocissimi fuisse ingenii tradunt historiæ, atque Syllæ inimicum etiam acerrimum. Ad Consulatum autem peruenit Pompeio Magno adiutore, inuito Sylla Dictatore, ut est apud Plutarchum in Pompeio. Consul cum esset mortuo Sylla resistere cœpit, ne Syllæ exequiæ celebrarentur, eiusque acta rescindi, & proscriptis bona restitui uoluit. qua de caussa bellum excitatum est, cuius ab una parte ipse dux fuit, ab altera Q. Lutatius Catulus. uictus tandem anno sequenti, & in Sardiniam pulsus ibi interiit, ut alii scribunt, morbo, ut alii, ex adulterio uxoris nunciato, Plutarchus in Pompeio.

De Lepido.

peio. Hic primus omnium, ut ait Plinius libro trigesimo sexto, Consul limina ex Numidico marmore in domo posuit magna reprehensione. Ab eodem etiam Consule lex sumptuaria lata est ea, quæ Aemilia dicitur. Macrobius libro tertio, Gellius libro secundo capite uigesimo quarto. hæc quidem ceteri. Sallustius autem sentire uidetur non solum post Syllæ mortem, sed etiam eo uiuente, ac Dictaturam tenente in eum inuectum esse. hæc enim oratio ab eo Consule dicta est in eum uiuentem, & Dictaturam, quam ipse appellat tyrannidem, exercentem. ex quo apparet Sallustium dissensisse ab iis, qui scripserunt Syllam anno superiore Seruilio, & Claudio Consulibus Dictaturam deposuisse. hi sunt Appianus, Orosius, auctor ille, qui uitas uirorum illustrium scripsit, atque horum omnium grauissimus auctor Plutarchus.

De iis, quæ ad rem pertinent.

Ad hanc autem orationem habendam eiusmodi ei occasio data est: Cum Sylla reuersus à bello Mithridatico uictor republica recuperata inimicorum bona proscripsisset, & cædem ingentem fecisset, ac populum Romanum seruitute acerbissima oppressisset Tribunitia potestate sublata, agrisque plebi ipsi ademptis, neque hæc mala quem finem habitura essent

ſent appareret, conſternata plebe, & ſcelere Syllæ grauius etiam ſeruitium metuente, cum inquam, in hoc ſtatu reſpublica eſſet, M. Lepidus uetus Syllæ inimicus Conſul factus, ſiue nouarum rerum ſtudio, ſiue libertatis amore populum contra Syllam concitare conatus eſt, & ad bellum eidem inferendum hortari. Itaq; uocato ad concionem populo hanc in urbe ad populum concionem dixit, in qua illum ad arma contra Syllam tyrannidem exercentem capienda inflammauit. Atque ex his quidem & orationis propoſitus finis, belli nempe ſuaſio, & argumentorum loci, qui ex belli, populi Romani, Syllæque præcipue conſideratione hauriuntur, itemque genus cauſſæ, quod & ipſum deliberatiuum eſt, perſpicua fiunt. Status autem cauſſæ ex rationibus in oratione poſitis, negotialis, coniecturalisque eſſe colligitur. Negotialis, dum utile, honeſtum, neceſſariumque bellum eſſe oſtendet; coniecturalis, cum ab infirmitate Syllæ belli facilitatem demonſtrabit.

De Auditore.

Auditorem autem populum Romanum fuiſſe ex eodem concionis nomine apparet, de quo dicere, cum de eo omnes loquantur hiſtoriæ, ſuperuacaneum uidetur. eius uero ſtatus is tunc erat, ut ſi in ſuperiora tempora reſpicia-

ſpiciamus Democratiam penitus, populique ty- rannidem appellemus; ſi in præſens ſub Sylla ſeruitium, unius omnino tyrannidem dicamus: tunc certe duabus, iiſque peſsimis reſpublica Romana partibus conſtituta erat, optimatibus, quibus Sylla præerat, & plebe, quam Lepidus tuebatur, quarum utraque ad tyrannidem incli- nabat. Itaque Lepidus cum ad plebem diceret, egregie popularis naturæ, & eius temporis con- ditionis rationem habuit, licet & ſententiarum, & orationis grauitate, atque diligentiſsimo, ac- curatoque dicendi genere ad Thucydidis imita tionem, ut pleraque alia, iiſdem, quibus & ille, rationibus utatur. Quòd ſi quæritis quæ Cice- ronis oratio ſit huic maxime ſimilis, dicam quar- tam eſſe Philippicam ad populum habitam; De- moſthenis uero concionem illam, quam dixit ad epiſtolam Philippi, de qua ſic ait Vlpianus. *uidetur autem magis ſimilis adhortationi cuidam in caſtris dictæ, quàm concioni.* itemque reliquis ferè omni- bus, in quibus de Philippi tyrannide, popu- lique Athenienſis ignauia conqueritur. ex qui- bus etiam plures ſententiás à Salluſtio exceptas fuiſſe manifeſte apparet.

CONCIO

CONCIO
M. AEMILII LEPIDI CONSVLIS ex libro primo historiarum Sallustij
PROOEMIVM.



LEMENTIA, & *probitas uestra, Quirites, quibus per ceteras gentes maximi, & clari estis, plurimum timoris mihi faciunt aduersus tyrannidem L. Syllæ; ne, quæ ipsi nefanda non æstimatis, ea parum credendo de aliis, circumueniamini; præsertim cum illi spes omnis in scelere, atque perfidia sit, neque se aliter tutum putet, quam si peior, atque intestabilior metu uestro fuerit: quo captiuis libertatis curam miseria eximat: aut, si prouideritis, in uitandis periculis magis, quàm ulciscendo teneamini. Satellites quidem eius, homines maximi nominis, non minus optimis maiorum exemplis, nequeo satis mirari, dominationis in uos seruitium suum mercedem dant, & utrunque per iniuriam malunt, quàm optimo iure liberi agere. præclara Bru-*

torum, atque Aemiliorum, & Lutatiorum proles, geniti ad ea, quæ maiores uirtute peperere subuertenda. nam quid à Pyrrho, Annibale, Philippoque, & Antiocho defensum est aliud, quàm libertas, & suæ cuique sedes, neu cui, nisi legibus pareremus? Quæ cuncta sæuus iste Romulus, quasi ab externis rapta, tenet: non tot exercituum clade, neque Consulis, & aliorum principum, quos fortuna belli consumpserat satiatus; sed tum crudelior, cum plerosque secundæ res in miserationem ex ira uertunt: quin solus omnium post memoriam hominum supplicia in post futuros composuit: queis prius iniuria, quàm uita certa esset: prauissimeque per sceleris immanitatem adhuc tutus furit, dum uos metu grauioris seruitij à repetenda libertate terremini.

Quæ in uniuersum de exordiis in consilio dando fingendis ueteres præceperunt, ea ferè à nobis in Periclis concione explicandà, exposita sunt, ut hoc loco eadem repetere aut parum necessarium,

cessarium, aut certe non admodum opportunum esse uideatur. Quæ tamen huius loci præcipue sunt, ea non sine magna reprehensione prætermitti posse existimamus. Quod ergo supra quoque diximus, id hoc etiam loco admonere, haud alienum uidetur. ex omnibus exordiorum locis nullum fortasse aut frequentius occurrere, aut rei instituendæ accommodatius esse, quàm crimina aut inferre, aut oblata diluere. ergo ut Pericles in sua oratione crimina, si qua inciderunt, depulit; sic Lepidus infert. atq; hoc tribus in locis, primum in Syllam, deinde in satellites Syllæ, iterum in eundem.

CLEMENTIA &c. In hac prima parte procemii orditur Lepidus partim à persona sua, cum se timere reipublicæ causa ait, partim à persona aduersariorum, cum à Syllæ sceleribus incipit, atque grauiora ea, quàm uidebantur, ostendit. tractatio autem est eiusmodi; cum dicat se maximo esse in timore, huius timoris caussas affert duas, alteram, quæ à populo proficiscitur, alteram, quæ à Sylla, populus est clemens, ac probus, nec facile credit de altero ea, quæ ipse nefanda non putat, ex quo sequitur, ut facile decipi possit, Sylla tyrannus improbus est, ac quotidie fit improbior, quo aut miseria curam adimat

mat libertatis, aut si prouiderit in uitandis periculis magis, quàm ulciscendis teneatur. Interim beneuolentiam sibi conciliat à persona sua, cum se reipublicæ caussa timere ait, à persona populi, cum miram eius probitatem nominat, à persona Syllæ, cum eum in odium adducit, facta, ac cogitata eius atrocia explicando.

CLEMENTIA, ET PROBITAS. Ne offenderet populum initio orationis uirtutem pro uitio posuit, nam cum lentitudinem, ac credulitatem populi accusare uellet, qui se decipi pateretur, non est usus ueris nominibus, sed falsis. Clemens dicitur, qui non irascitur, quasi colens mentem suam: clementia dicitur eius, qui non irascitur, nec quicquam crudele cogitat, hanc Græci ἀοργησίαν uocant, Latini lentitudinem nominant uero nomine. Cicero quarto Tusculan. *Peripatetici uirum uideri negant, qui irasci nesciat, eamq;, quam nos lenitatem dicimus, uitioso lentitudinis nomine appellant*. hæc sententia est apud Aristotelem in Ethicis. *Qui irasci nesciunt, quibus de caussis debent, ii stolidi uidentur esse*. ergo quemadmodum clementia, & lenitas uirtutis nomina sunt, sic lentitudo, & stoliditas uitii. Plutarchus ad Apollonium de dolore eodem ferè pacto constituit, etenim modicam affectionem uirtutem iudicandam,

dam, at indolentiam insensibilitatis, feritatisq; naturam præseferre. Cur igitur Lepido timorem affert lentitudo populi? quia qui irasci nescit, ille non appetit uindictam. eiusmodi uero sunt proni ad seruitutem patiendam. Quod autem dicit, *probitas*, id est ingenii simplicitas, ac credulitas uitioso nomine. Aristoteles enim inter eos, qui sunt opportuni patiendæ iniuriæ statuit libro primo Rhetoricorum, credulos, & simplicis ingenii. vnde est uox Epicharmi. νῆφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, ταῦτα ἄρθρα τῶν φρενῶν. *Sobrius esto, & memento non credere, hi sunt articuli sapientiæ.*

QVIBVS PER CETERAS GENTES. Hæc laus ad conciliandam beneuolentiam ualet.

TYRANNIDEM L. SYLLÆ. Non dixit L. Syllam, sed tyrannidem L. Syllæ; nec imperium, aut Dictaturam, sed tyrannidem. odiosum uerbum præsertim apud liberum populum, quo libenter usus est Lepidus, tanquam contrario eius reipublicæ generi, quo utebatur populus Romanus, apud quem loquebatur; Aristoteles enim in libris de republica tria genera facit rerumpublicarum, quæ optima sint, quibus alia opponi tria ait, quæ deprauata sint. optima sunt Regalis potestas, quoties respublica unius imperio regitur, eiusque ciuitati consulentis, non

sibi.

ſibi; Ariſtocratia, quoties reſpublica in poteſtate eſt paucorum, qui commodis proſpiciant ciuitatis; πολιτεία, quoties reſpublica eſt in populi poteſtate, iſque publicæ, non ſuæ ſtudet utilitati. Corrupta ſunt hæc, Tyrannis, cùm adminiſtratur unius imperio ciuitas, qui omnia ſua utilitate metiatur; Dominatus paucorum, qui ſua reſpiciant commoda; Imperium populi ſibi, non ciuitati conſulentis. Eadem prope tradebat Cicero in libris de Republica; nam ut ait Diuus Auguſtinus de Ciuitate, ibi definit Cicero rempublicam rem populi, cum bene, ac iuſte geritur, ſiue ab uno rege, ſiue à paucis optimatibus, ſiue ab uniuerſo populo. Cum uero iniuſtus eſt rex, quem tyrannum uocat, aut iniuſti optimates, quorum conſenſum factionem appellat, aut iniuſtus populus, cui nomen uſitatum non reperit, niſi ut etiam ipſum tyrannum uocaret, non iam uitioſam, ſed omnino nullam eſſe rempublicam. Quanquam ergo Polybius libro ſexto, & Cicero etiam de Republica, ac de legibus dicant rempublicam Romanam fuiſſe ex tribus optimis generibus confuſam, quemadmodum uere, & optime noſtram eſſe oſtendit Cardinalis Contarenus, Regno, Ariſtocratia, Politia, ſi Conſulum imperium, Senatus auctoritatem, Populi

Populi poteſtatem reſpiceremus, tamen hoc forte aliis temporibus uerum fuit, & maxime inter ſecundum, ac tertium Punicum bellum, quod tempus fuiſſe ſanctiſsimum tradidit Salluſtius in procemio hiſtoriarum, ut eſt apud Auguſtinum de Ciuitate libro ſecundo. Republica autē perturbata uere hoc dici non potuit, ut hoc tempore, quo ciuitas in duas reipublicæ ſpecies erat diuiſa, eaſque peſsimas, tyrannidem Syllæ, & democratiam plebis, quæ in hoc conueniebant, quod utræque ſibi, non ciuitati conſulebant, differebant autem, quod eam unus, hanc multi adminiſtrabant. ergo neſcio quo modo tyrannis democratiæ contraria, ſiquidem, vt ait Ariſtoteles libro quinto de Republica, *Populi poteſtas extrema tyrannis eſt*. Cum ergo loquatur Lepidus ad populum, qui in democratia uiuit, cui libertas propoſita eſt, merito tyrannidem Syllæ uocat ad odium concitandum: nam, ut ait Demoſthenes ſecunda Philippica, *Regnum, & tyrannis, ſunt inimica libertati, & legibus, nec quicquam utilius populo contra tyrannum, quàm diffidentia*. Quare merito reprehendit populum Lepidus, qui nimis tyranno crederet.

NE QVÆ IPSI NEFANDA NON ÆSTIMATIS, EA PARVM CREDENDO. Hæc eſt

V interpre-

interpretatio clementiæ, & probitatis; nam nihil nefandum animo agitare, clementiæ est: nihil nefandum ab aliis agitari, putare, & aliorum uoluntatem sua metiri, probitatis.

NE CIRCVMVENIAMINI. Id est decipiamini, & paulatim libertate spoliemini. Translatio sumpta uel à uenatione, uel à bello, & ab iis, qui faciunt insidias circumueniendo. sic etiam sæpissime Cicero. *Verba propria,* ut ait Aristoteles libro tertio Rhetoricorum, *orationem lucidam reddunt, translata non humilem; commutatio enim affert grauitatem, & nouitatem, noua admirabilia sunt, quæ admirationem habent, ea iucunda sunt.*

PRÆSERTIM &c. Altera caussa est timoris Lepidi sumpta à scelere Syllæ. auget ergo scelus, & factum Syllæ, ab eoque rapit eum in odium populi, atque iram concitat ei; odium, cum ait, spem omnem habere salutis suæ in scelere, & perfidia. nam si, ut ait Aristoteles de amicitia, iustos amamus, ergo odio nobis erunt iniusti. huiusmodi autem existimamus eos, qui non ab aliis uiuunt. item cum ait, illum peiorem fieri metu populi; nam si amamus, ut ait Aristoteles, qui non sunt formidabiles, ergo odiosi erunt formidabiles. Verba Aristotelis de amicitia sunt hæc, *& eos qui non sunt formidabiles, & quibus confidimus*

mus, amamus, nemo enim, quem timet, amat. Iram incitat, cum ait metu populi fieri peiorem, ira enim naſcitur ex paruifactione, cuius pars eſt contemptus.

SPES OMNIS. Ideſt ſalutis, nam etiam inquit, *neque ſe aliter tutum putat*. & paullo poſt, *nihil glorioſum, niſi tutum, & omnia retinendæ dominationis honeſta æſtimat*. præclare omnia. habet enim rationem finis tyrannidis, qui eſt, ut ait Ariſtoteles libro primo Rhetoricorum, cuſtodia corporis, ut Democratiæ libertas.

SCELERE, ET PERFIDIA. Aut ſcelus eſt tanquam genus perfidiæ, ut κακία, aut ἀδίκημα ſignificat. ſunt autem ἀδικήματα ex Ariſtotele libro primo de arte dicendi, quæ homines ex animi prauitate conſulto admittunt: ut eripere libertatem plebi.

PERFIDIA. Græce ἀπιστία. hanc duobus modis intellexit Demoſthenes in Philippicis: nam in ſecunda Philippica inquit, non eſſe credendum Philippo, & utitur nomine ἀπιστίας. ἓν δέ τι κοινὸν ἡ φύσις τῶν εὖ φρονούντων ἐν ἑαυτῇ κέκτηται φυλακτήριον, ὃ πᾶσι μὲν ἐστὶν ἀγαθὸν, καὶ σωτήριον, μάλιστα δὲ τοῖς πλήθεσι πρὸς τοὺς τυράννους. τί οὖν ἐστὶ τοῦτο; ἀπιστία. ταύτην φυλάττετε, ταύτης ἀντέχεσθε, ἐὰν ταύτην σώζητε, οὐδὲν δεινὸν μὴ πάθητε: In Olynthiaca prima inquit, Tyrannos fidem non ſeruare, & utitur no-

mine ἀπίστου. καὶ ὅλως ἄπιστον, οἶμαι, ταῖς πολιτείαις ἡ τυραννίς. ſic etiam hoc loco accipit Salluſtius perfidiam.

NEQVE SE ALITER TVTVM PVTET &c. Altera cauſſa timoris à Syllæ perſona adhuc grauior, quæ opponitur ſuperioribus hoc modo. Populus nefandum nihil cogitat. Sylla omnem ſpem in ſcelere poſuit. Populus nefandas res de. Sylla non credit. Sylla quotidie ex metu populi fit ſceleratior. Hoc autem loco fundamenta quaſi iaciuntur ſequentis probationis, ideſt locorum iuſti, & neceſſarii; ſiquidem Vlpianus in Demoſthenis Philippicā quartam ait procœmia ex finibus aſſumi. Cum ergo dixit, *ſcelere*, ideſt τῷ ἀδικήματι, fundamenta, iecit iuſti, eſt enim iuſtum eos ulciſci, qui te uiolarint. Cum dixit, *inteſtabilior fit*, neceſſarii. oſtendit enim neceſſarium eſſe, obuiam ire, quia ille finem non ſit facturus ſceleri.

QVAM SI PEIOR, ATQVE INTESTABILIOR METV VESTRO FVERIT. Ideſt ſi quanto magis eum metueritis, tanto in uos magis ſæuiet. eiuſmodi dicendi genus eſt ei familiare, nam infra in concione Macri ait. *Quoniam omnis iniuria grauitate tutior eſt*. Hanc autem tyrannorum fere conſuetudinem eſſe, idem Salluſtius

ſcribit

ſcribit ad Cæſarem in prima epiſtola de ordinanda republica. *Id euenit, quia plerique rerum potentes peruerſe conſulunt, & eò ſe munitiores putant, quo illis, quibus imperitant, nequiores fuerint.* Scelus autem eſt cauſſa metus, & metus cauſſa ſceleris. utrunque recte, nam ait Ariſtoteles libro ſecundo Rhetoricorum de metu; *Et iniuſtitia, quæ uiribus prædita eſt, metuenda eſt.* & libro primo de iniuriis, *ad iniuriam patiendam opportunos eſſe*, ait, *inertiæ deditos*. Ex grauitate iniuriæ ſecuritas proficiſcitur, quæ impellit ad faciendam iniuriam. nam ut ait Ariſtoteles ibidem. *faciunt iniuriam illi, quibus iniuriæ lucra ſunt, damna uero probra ſolummodo.* ſic Sylla ex iniuriis in plebem imperium eſt adeptus; nihil autem incommodi præter tyrannidis infamiam. unde eſt ille celebratiſsimus uerſus. *Oderint, dum metuant*. Ab hoc autem diſſuadet Antonium Cicero in prima Philippica hac pulcherrima ſententia. *Illud magis uereor, ne ignorans uerum iter gloriæ, glorioſum putes, plus te unum poſſe, quàm omnes, & metui à ciuibus tuis, quàm diligi malis. quod ſi ita putes, totam ignoras uiam gloriæ. charum eſſe ciuem, bene de republica mereri, coli, diligi, glorioſum eſt: metui uero, & in odio eſſe, inuidioſum, deteſtabile, imbecille, caducum.*

METV VESTRO. Præclare metuebant, nam

ut

ut ait Aristoteles libro secundo Rhetoricorum, de metu. *Et qui iniuriam fecerunt, si uires habeant, metuendi sunt, quòd timeant, ne talionem patiantur.* metus accipitur partim actiue, partim passiue. passiue ut Sallustius libro primo Historiarum ex Nonio. *Ad bellum excitabat metus Pompeii uictoris.* idest, ut ait Nonius, *quod de Pompeio metueretur.* actiue ut hic.

QVO CAPTIVIS &c. Consilium aperit Syllæ crudele, ab eoque rapit eum in odium. est autem huiusmodi, ut omnino prohibeat, ne cogitationem libertatis populus suscipiat. hæc autem cogitatio duplex est: aut enim posita est in uitandis periculis, aut in ulciscendis. ille uero eò grauiori premit eos seruitute, ut aut omnino seruitutis magnitudine cogitationem nullam suscipere possint libertatis, aut si suscipiant, in uitandis potius periculis, quàm in ulciscendo Syllam studium ponant.

CAPTIVIS. Verbum ad odium commouendum aptissimum, perstat autem in translatione belli, de qua supra *circumueniamini.*

LIBERTATIS CVRAM. Rectè, est enim Democratiæ finis libertas.

MISERIA. Quotidiana seruitute. Aristoteles libro quinto de Republica exponit, quæ potis-

potiſsimum agant tyranni imperii ſui conſeruandi cauſſa. ſunt autem hæc: *Primores ciuitatis intercere, conuictus non pati, non ſodalitates, nec diſciplinam, nec ſcholas, nec conuentus, notitia enim fidos facit inter ſe eos, qui in urbe morantur; ſemper uideri, & ſtare pro foribus; ſic enim minime latebit, quid agant, & aſſueſcent eſſe animo abiecto, & demiſſo perpetua ſeruitute.* qua miſeria uidetur etiam Sylla exemiſſe curam libertatis recipiendæ.

VITANDIS QVAM VLCISCENDO. Sumptum eſt à bello, ut ſuperiora; in eo enim non minus pugnatur, ut hoſtem feriamus, & ulciſcamur, quàm ut eundem in nos irruentem repellamus. Vitamus autem futura, ulciſcimur præterita. vitare ictus in pugna Demoſthenes dixit προβάλλεσθαι Philippica prima.

PERICVLIS. Ideſt malis. eſt autem periculum ex Ariſtotele libro ſecundo Rhetoricorum de metu, *rei terribilis appropinquatio, & malum imminens. terribilia uero ſunt res, quæ uim habent aut interitum, aut dolorem maximum inferendi.*

VLCISCENDO. ἐν τῷ τιμωρεῖσθαι. Differt autem, ut tradit Ariſtoteles libro primo Rhetoricorum, τιμωρία, & κόλασις, τιμωρία *reſpicit eum, qui agit, & ſupplicium ſumit, ut animum ſatiet ſuum, eſt enim ab eo contemptus.* κόλασις *reſpicit eum, qui*

patitur,

patitur, qui iccirco punitur, ut à delictis temperet. hæc castigatio, illa ultio dici potest, quæ à commoto animo proficiscitur, & irato, illa plerunque etiam à sedato.

SATELLITES &c. Syllæ persona ab eius scelerum exageratione in odium adducta, inuehitur modo in eos, qui Syllæ nomen sequebantur, & rempublicam deseruerant, eosque in odium rapit, sceleratos esse probans, quia libertatem euertunt. rationem autem habet eorum, apud quos loquitur, neque enim maius scelus plebs existimabat esse, quam libertatem adimere. Argumentatio est eiusmodi. Qui libertatem euertunt, scelerati sunt. satellites eius, Bruti, Aemilii, Lutatii libertatem euertunt, ergo sunt scelerati. Propositio prætermissa est, ut notissima. Assumptio est ea. *satellites eius homines maximi nominis.* Conclusio inclusa est in eo uerbo: *Præclara.* Post assumptionem probat hoc modo. Qui euertũt ea, quæ à maioribus parta sunt, libertatẽ euertunt, Bruti, Aemilii, Lutatii euertunt ea, quæ à maioribus parta sunt, ergo iidem libertatem euertunt. Propositio etiam omissa est, sed ratio eius posita. *Quid enim aliud defensum est, quàm libertas.* Assumptio posita est hæc: *Præclara Lutatiorum* &c. Conclusio ut apertissima non fuit ponenda.

nenda. Hi ſunt loci, quibus docet, qui ſane, & ab iis, quæ ſatellitibus adiuncta ſunt, & à ſcelerati definitione, ſiue potius deſcriptione quadam hauriuntur. Mouet autem, odium eis creando, quia cum ipſi ſint nobiles, & exempla optima maiorum habeant; ipſi ſeruiant; deinde quòd ſeruiant Syllæ, ut dominentur plebi; tum quòd utrunque iniuſte facere malunt, quàm iure in re publica libertate frui. quarto loco, quòd ea produnt, quæ maiores uirtute peperere. Conciliat autem ſibi auditores, bonum uirum ſe fingens, qui miretur maxime tantam prauitatem ingenii eorum. oſtendit enim ſe longe ab iis diſſentire, & libertatis defenſorem eſſe, cuius illi oppugnatores ſunt. Pari ratione Cicero inuehitur in eos, qui fauebant Antonio, & Demoſthenes in eos, qui Philippo. uterque in Philippicis.

SATELLITES. Verbum eſt criminoſum, ſatelles enim dicitur miles mercede conductus ad latus regis ſtipandum, atque tegendum.

HOMINES MAXIMI NOMINIS. Hoc non eſt dictum cum ironia, ſed ſerio: ut odio illi flagrent grauiori, ſi cum ſint nobiles ſeruire uoluerint. Nomen enim pro gente, & familia ponitur; unde nobiles dicti ſunt, Græce εὐγενεῖς. Eos definit eſſe Ariſtoteles libro primo Rhet.

in quorum familia uiri, aut mulieres illustres fuerunt, quique ex legitimis nuptiis nati sunt, & quorum generis auctores aut uirtute claruerunt, aut diuitiis, aut alia earum rerum, quæ sunt in pretio. quod ita esse in Brutis, Lutatiis, Aemiliisque facile potest intelligi: hi enim non modo patricii omnes, sed etiam antiquitate, & uirtute summa excelluere. Est autem indignius nobilem seruire, quam ignobilem. Duo autem erant genera satellitum Syllæ; alii nobiles, ut Bruti, Aemilii, Lutatii; alii ignobiles, ut Vectius Picens, Scriba Cornelius, Syrus, Tarula, Fufidius, de quibus infra. Sic Philippi satelles nobilis erat Aristodemus, in oratione περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ, Callias autem uilis, & mimus, secunda Olynthiaca. ita etiam Antonii ignobiles, Mustella Tamisius, Tyro Numisius, Clasitius, Capho, Saxa. Nobilis erat Q. Fufius Calenus.

Non minus optimis maiorum exemplis. Habet etiam indignationē, si quis habeat grauissima maiorum exempla ad libertatem retinendam, ille tamen ad seruiendum adducatur: erant autem Brutis, Aemiliis, Lutatiis eiusmodi exempla. Bruti habent L. Iunium Brutum, qui reges eiecit, qui primus Consul fuit, qui collegæ Tarquinio magistratum abrogauit, ne nomen esset Tarquiniorum in republica, qui

Consul

Consul in filios conspirantes in rempublicam seuerissime animaduertit, qui in bello contra reges pro libertate dimicans cecidit. Aemilii habent præter alios L. Aemilium Paullum, qui in prœlio Cannensi mori fortiter, quàm turpiter fugere maluit. item L. Aemilium Paullum superioris Paulli filium, qui in primo consulatu Ligures, in secundo Macedones uicit, & de utrisque triumphum egit. et si quid mali reipublicæ impenderet, id omne, ut in familiam suam recideret, in concione ad populum precatus est. quare duobus filiis orbatus est, uno ante triumphum Macedonicum, altero post triumphum. Lutatiis est Q. Lutatius Catulus imitandus, qui prœlio nauali uicit Carthaginienses, deque iis triumphauit, & primo Punico bello finem imposuit, auctor de uiris illustribus. item Q. Lutatius Catulus, qui de Cimbris cum C. Mario triumphauit, & ab eodem deinceps tanquam Syllanus est interfectus.

NEQVEO SATIS MIRARI. Hic est beneuolentiæ locus à sua persona, & à suo iudicio. quod autem ait se mirari, homines nobiles seruire, rationem aliquam habet. nam ut ait Aristoteles libro quinto de Republica. *Assentatores apud tyrannos sunt in pretio, ii, qui se summisse gerunt in*

 sermo-

sermonibus, quod est assentationis. ob eamque caussam tyranni improbos sibi amicos parant, quòd assentatione moueantur, quod nemo, qui animo libero erit, faciet. Tyranni etiam est, inquit, *nullo præstanti, aut libero homine delectari*. Cuius rei caussa ab eodem Sallustio affertur in procemio coniurationis Catilinæ. *quia regibus boni, quàm mali, suspectiores sunt, semperque his aliena uirtus formidolosa est*. Quæ cum ita sint, miratur Lepidus homines nobiles uelle seruire tyranno, homines optimis maiorum exemplis uelle libertatem publicam perdere, quod est turpissimum. quare Socrates merito dixit, cum ei quidam nobilis, sed improbus ignobilitatem obiiceret: *atqui mihi genus dedecori est: tu generi*. Stobæus de Nobilitate.

QVI DOMINATIONIS IN VOS SERVITIVM SVVM MERCEDEM DANT. Exprimit id, quod sibi admirationem moueat. eos scilicet euertere libertatem publicam. ea uero duplex est populi, & sua. suam amittunt, cum Syllæ obsequantur. popularẽ euertunt, cum imperium in illum quærunt, tanquàm suæ assentationis mercedem. Eiusmodi uero homines fuisse etiam in republica Atheniensium, qui seruirent Philippo, ut Atheniensibus imperarent ostendit Demosthenes in quarta Philippica, iisdem ferè,

quibus Sallustius uerbis: *Proinde cum oppidani in duas hasce sint diuisi partes, alii, ut neque ui imperare uelint, neque seruire cuiquam, sed in libertate, & legibus ex æquo uiuere: alii, ut ciuibus imperare cupiāt, & alteri parere.* similiter in oratione de Halonesso. *Quos scilicet proditores non pudet Philippo uiuere potius, quàm suæ patriæ, à quo ea munera, quæ accipiunt, ferre se domum putant, cum interim ea, quæ domi habent uendant.*

DOMINATIONIS IN VOS. Idest ut uobis imperent, hoc refertur ad, *optimis maiorum exemplis*, eorum enim maiores pugnarunt pro uestra libertate, illi nituntur, ut uos seruitute implicent. alibi dixit, *dominatio in uobis*. Plena autem odii hæc oratio est.

SERVITIVM SVVM MERCEDEM DANT. idest qui seruiunt hoc refertur ad *Nobiles*, neque enim nobilitas postulat, ut alterius uoluntati pareant in libera ciuitate. seruitium enim est seruitus. seruitia uero pro seruis est etiam factitatum.

ET VTRVNQVE PER INIVRIAM MALVNT, QVAM OPTIMO IVRE LIBERI AGERE. Odium creat illis ab iniusto. isti enim ea sunt peruersitate ingenii, ut malint imperiū, ac seruitutem iniustam, quàm libertatem iustā. Est autem hæc oratio ex contrariis constans, in qua inest uis maxima. nam *optimo iure*, opponitur

ei,

occisus sit. puto autē intelligi debere de D. Bruto, qui anno sequenti Consul cum M. Aemilio fuit, hic dicitur D. Iunius. D.F.M.N. Brutus, Fasti consulares.

AEMILIORVM. M. Aemilium Mamercum intelligit, qui Consul anno insequenti cū D. Bruto fuit, quem Suetonius in Cæsare ait, Syllæ amicum fuisse. De his autem duobus Consulibus fit mentio in concione Macri. *Bruto, & Aemilio Mamerco Consulibus tumultus intercessit.*

LVTATIORVM. Q. Lutatium Catulum intelligit collegam suum, quem principem factionis Syllanæ uocat Pedianus in tertiam Verrinam. Hic fuit filius Q. Catuli collegæ Marii quartum Consulis. hic bellum excitauit studio Syllanarum partium, ut diximus, post Censor fuit, & Princeps Senatus. Pompeio, ne bellum Piraticum, & Mithridaticum mandaretur, restitit. Ciceronem in Senatu patrem patriæ nominauit, Plutarchus in Pompeio, Cicero, Dio libro trigesimo septimo, Appianus libro primo.

PROLES. Progenies. est autem nomen antiquum, ut soboles, ut tempestas, quemadmodum ait Cicero in Oratore. quibus tamen usus est etiam Cicero: sed Sallustius libentius, quippe qui uerba antiqua affectauerit, eaque ex Origenibus

nibus Catonis excepſerit. *uerba autem antiquā afferunt grauitatem orationi*, ut ait Ariſtoteles. Cicero dixit in epiſtola ad Octauium progenies. *Audiet Brutus eum populum, quem ipſe primo, poſt progenies eius liberauit pro turpi ſtupro datum in ſeruitutem.*

GENITI. Proles Brutorum geniti. non eſt ſolœciſmus, refertur enim ad ſententiam, non ad uerba, quod obſeruauit etiā Dionyſius Halicarnaſſeus apud Thucydidem. τῶν δὲ συρακουσίων ὁ δῆμος ἐν πολλῇ πρὸς ἀλλήλους ἔριδι ἦσαν. & alias plerunq; Cæſar. *Sulmonenſes, quod oppidum*. Trahit autem odium, *nam*, ut ait Plato, *unuſquiſque patriæ, ſibi, & parentibus eſt natus, non ad patriam euertendam*.

MAIORES. Refertur ad *prolem*. ſunt enim inter ſe contraria, ut etiam illa. *Peperere*, & *ſubuertenda*.

VIRTVTE. Hoc uerbum odium trahit, nā quo maiore labore parta ſunt, eò maius ſcelus uidetur ea euertere.

NAM QVID A PYRRHO. Hæc eſt ratio propoſitionis omiſſæ. propoſitio futura erat, hæc, qui, quæ maiores pepererūt, euertunt, ii libertatem euertunt. hanc cum omiſerit, rationē tamen eius addit. Nihil enim aliud defendere, quàm libertatem. Hanc autem ut eſſet uehementior, ornauit interrogatione. Interim uero exemplis

plis confirmat orationem suam, exempla enim concionibus aptissima esse diximus. Hæc autem præcipit Aristoteles, *si ante enthymemata statuantur, inductionis uim habere, si post ponantur, testimonii*, ut hoc loco. Nominat autem acerrimos imperii Romani hostes, cum quibus de libertate bellatum est a maioribus. Aristotelis etiam hoc præceptum esse diximus, *eum, qui de bello consilium daturus sit, tenere oportere, quæ bella, & quomodo gesserit ciuitas ea, cui consilium detur*, quod uidetur tenere etiam Lepidus, cum genera hæc belli exponit. Florus autem historiæ libro primo quatuor genera bellorum tradit, quæ gesta sunt a populo Romano; pro libertate, ut cum Tarquiniis, & Porsenna; pro finibus, ut cum Latinis, Veientibus, Etruscis; pro sociis, ut cum Samnitibus Campanorum sociorum caussa; pro imperii gloria, ut cum Tarentinis, & Pyrrho, & Corinthiis, quia legati uiolati fuerant. Quæ Flori diuisio quanquam uera est, multas tamen habet difficultates: nam Cicero primo de Officiis ait cum Celtiberis, & Cimbris de capite dimicatum esse, cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, & Pyrrho de imperio, id est de libertate. Sallustius autem hoc loco ait cum Pyrrho, Antiocho, & Philippo de libertate esse certatum. Contra Ci-

cero pro lege Manilia ait maiores suos pro sociis pugnasse cum Antiocho, cum Philippo, cum Aetolis, cum Pœnis. Quæ igitur huius tantæ dissensionis inter scriptores caussa est? hæc nimirũ, de qua Thucydides, ac Polybius agunt, uterque historiarum suarum libro primo. placet enim eis, cuiusque belli caussas esse duas, unam honestiorem, quam præseferunt ii, qui bella indicunt, alteram turpiorem, quam occultant. Ita cum Samnitibus bellatum est pro sociis Campanis, ut palàm ferebatur, re uera imperii caussa. item cum Annibale prætenderunt se bellum gerere caussa Saguntinorum, at re uera pro libertate pugnarunt. itemque in ceteris. oratores autem utuntur ea, quæ suæ caussæ aptior est. De his autem bellis cum Pyrrho, Annibale, Philippoq; & Antiocho, cui non patet?

LIBERTAS, ET SVÆ CVIQVE SEDES. Cicero in Partitionibus. *Bonorum, inquit, partim necessaria sunt, ut uita, pudicitia, libertas: partim non necessaria. quorum alia sunt per se expetenda, ut ea, quæ sita sunt in officiis, atque uirtutibus; alia, quòd aliquid commodi efficiunt, ut opes, & copiæ.* ita Lepidus hic duo attigit genera bonorum, libertatem, atque patrias sedes. quæ ratio est amplificandi, cum diuersa ponat.

NEVE CVI NISI LEGIBVS PAREREMVS. Aristoteles libro tertio Rhetoricorum inter ea, quæ grandem orationem faciunt statuit, *uti definitione pro nomine: ut pro circulo circuli definitionem afferre*. idem docet Cicero in Partitionibus cũ ait, *aut proprium, aut idem significans, aut factum uerbum in plura uerba diducitur*. hic etiam post nomen libertatis, definitionem eius posuit, quæ est, ne cui, nisi legibus pareas. Nam Aristoteles libro sexto de Republica. *Libertatem esse*, ait, *fundamentum popularis reipublicæ. Libertatis autem partes esse duas. unam uicissim parere, atque imperare: alteram uero uiuere, ut uelis, siquidem serui est uiuere non ut uelit*. Hæc Lepidi definitio superiorem partem libertatis ab Aristotele traditam uidetur attingere. nam parere uicissim, & imperare est legibus parere. ea enim fiũt ex legibus omnia, ut omnes in ciuitate æquales opes habeant.

QVÆ CVNCTA &c. Redit opportune ad Syllam, ut commemoratione scelerum eius, & earum rerum, quæ gestæ sunt ab eo, in odium adducat populo. Facta uero eius sunt hæc. Libertatem cuiusque, & domicilia per uim erepta tenet. cædem ciuium fecit. proscriptorum liberis honorum petitionem ademit. nunc tutus prauissime furit. quare scelera sunt, iniusta rapaci-

tas, crudelitas, contumelia, furor. quæ quemadmodum tractentur, & amplificentur, sigillatim aperietur.

QVÆ CVNCTA &c. Rapacitatem iniustã notat, eamque auget, primum quòd libertatem rapuit, idest per uim abstulit, deinde quòd tanquam ab externis rapuit, tum quòd rapta tenet.

ISTE. Cum indignatione dictum, ut & Græce ἔτος.

ROMVLVS. Romulus Romæ conditor, & primus Rex fuit, sed clemens, & iustus. quare inuidiæ concitandæ caussa hunc Romulum uocat pro rege, quo nomine etiam multis placitum est uocari Octauium, ut ait Suetonius in Octauio. Sallustius in oratione contrà Ciceronem cũ uocat Romulũ Arpinatẽ inuidiæ mouendæ caussa. hic autem ut odium adderet, sæuum appellauit, quod fuit contra Romuli mores.

RAPTA. Odium habet, non enim iustum possidet dominatum, sed rapuit, hæc autem rapina tanto est iniustior, quò suis non externis rapuit. hic autem quasi ab externis rapta tenet. Demosthenes Philippica prima, πάντα κατέστραπται, καὶ ἔχει.

NON TOT EXERCITVVM &c. Indignam crudelitatem notat, & auget Syllæ, qui non fuerit

rit contentus clade bellica, sed alios etiam uictor trucidauerit.

TOT EXERCITVVM. Milites intelligit, qui periere in bellis superioribus Syllæ, & Marii, Cinnæ, & Octauii. Iterum Marii, & Syllæ, Syllæ, & Carbonis; qui multi fuere.

CONSVLVM. Eorum, ut imperatorum facit mentionem. Hi autem maxime Consules perierunt. Q. Pompeium Consulem milites Cn. Pompeii Strabonis interfecerunt. Valerius, Epitomæ. Cn. Octauium Marius, & Cinna necādum curarunt. Cinnam exercitus suus interfecit. Fimbria Consul sibi manus intulit, ne in Syllæ manus perueniret. Marium filium Sylla necandum curauit. Carbonem Cn. Pompeius Magnus. hi omnes in Consulatu interfecti sunt.

ALIORVM PRINCIPVM. Principes dicuntur primarii uiri in ciuitate, qui uel propter familiæ splendorē, uel propter diuitias, uel propter gestos in urbe honores, uel propter imperia, uel propter eloquentiā sint illustres. Q. Antonius in Sardinia à legato Syllæ L. Philippo cæsus est. Epitomæ.

FORTVNA BELLI. Casus bellici, qui incerti sunt.

SATIATVS. Verbum odiosum. habet autem

tem ἐνέχειν. quasi uero sitiret sanguinẽ eorum, à sensu gustatus ad animum ducta translatio est. Sic Cicero in Dolabellam Philippica undecima. *Ac in eius corpore lacerando, cum animum satiare non posset, oculos pauit suos.*

Sed tvm crvdelior. Auget crudelitatem eius. quòd non satiatus cæde facta in præliis alios uictor necandos curarit, quod est contra naturam humanam. nam homines ex ira in secundis rebus ad miserationem uerti solent. hic autem ad crudelitatem delapsus est. ut autem ait Aristoteles, *ea magna sunt, quæ non sunt secundum naturam*. Quid autem hoc sit uideamus. Aristoteles libro secundo Rhetoricorum. *iram*, ait, *esse appetitionem ultionis cum ægritudine ob contemptum uel nostrum, uel alicuius ex nostris indignum. Facile autem placari homines, si ii, quibus irati fuerint, se fecisse fateantur, & pœniteat eos, nam cum uident eos pœnas dedisse placantur.* Cleon quoque apud Athenienses in tertia Thucydidis historia, *iratos, cum recentissimæ fuerint iniuriæ, eas maxime ulcisci, at facile uictoria, temporeque placari*. quod autem ipse ait, *miserationem*, credo dictum esse per auxesim, pro *lenitate*, neq; enim aliquid eiusmodi statuit Aristoteles inter eos, qui ad misericordiam traducantur.

Crvdelior. Plutarchus Syllam crudelẽ fuisse

fuisse contra hominum opinionem scribit, cum ab adolescentia risui deditus fuisset, sicque ad miserandum procliuis; Marium potentia ingenium auxisse, Syllam mutasse. victor autem octo millia deditorum in uilla publica trucidauit. tabulam proscriptionis ante inauditam in foro posuit. urbem, & uniuersam Italiam cædibus repleuit. inter quos omnes Prænestinos interimi iussit. hæc autem recuperata iterum republica, cũ dictaturam arripuit, fecit. nam ante exacto Mario aliam etiam cædem fecerat. De Syllæ crudelitate Valerius, Florus libro tertio, Plutarchus in Sylla, Epitome libro octuogesimo octauo.

SECVNDAE RES. Victoriæ genus. Græce εὐπραξία.

QVIN SOLVS &c. Auget, quia nouo exemplo hoc factum est. quare inquit eum & solum hoc fecisse inter omnes, & post homines natos hunc primum id fecisse.

SVPPLICIA. Auxesis. supplicium enim dicitur in uexatione corporis, hic autem pro contumelia, & dedecoratione accipitur.

COMPOSVIT. Lege sanxit.

IN POST FVTVROS. In posteros, idest filios, & nepotes, ut ait Plutarchus.

QVEIS PRIVS INIVRIA. Mouet pathos ab

ab iis, qui contumeliam passuri sunt, cum certiorem haberent contumeliam, quàm uitam.

INIVRIA. Iniuste agere est contra leges sponte alicui nocere, fuit autem lex hæc iniusta, ponit autem iniuriam pro contumelia, contumelia enim non nocet alteri. sed hoc agendi caussa, ut etiam supra dixit supplicium.

VITA. Vita cuique erat incerta, ut est omnibus hominibus. certum autem habebant, se, si nascerentur, nullos capere posse in republica magistratus.

PRAVISSIMEQVE PER SCELERIS IMMANITATEM ADHVC TVTVS FVRIT. Nunc furorem auget. Furor in Tusculanarum quarto definitur, *mentis cæcitas ad omnia.* is dicitur à Græcis μανία: itaq; de ea agit in quarto Paradoxo Cicero contra Clodiũ ostendens omnes stultos furere. est autẽ furere cæco mẽtis impetu in omni scelere uersari. qui furor proprie fuit Tribunorũ, & potentium hominum, & ab ira nimia proficiscitur sæpe. ipse uero indignatur eum in suo etiam Consulatu res sceleratas moliri, neq; adhuc finem fecisse scelerum.

PER SCELERIS IMMANITATEM TVTVS, Furit, quia tutus est ob magnitudinem sceleris: sceleris autem magnitudo affert metũ,

metus

metus autem est caussa furoris altera.

PER SCELERIS IMMANITATEM. Aristoteles libro primo Rhetoricorum inter caussas, quæ ad faciendam iniuriam impellunt, statuit etiam hanc. *si iniuria magna, & noua fuerit, nemo enim eiusmodi iniuriam cauet. ut enim inusitatos morbos non cauent homines, sic neque inusitatas iniurias.* idem etiam paullo post ait, *eos esse ad iniuriam faciendam propensos, quibus par pæna non est proposita commodo, quod uidetur inesse tyrannidi. eos uero ad patiendam iniuriam esse opportunos, qui inertiæ sint dediti.* itaque Demosthenes ubiq; clamat Philippum creuisse nō tantum ob potentiam suã, quàm propter inertiam Atheniensium. Sallustius autem *inetum* ait pro inertia.

FIDES.

AGendum, atq; obuiam eundum est, Quirites, ne spolia uestra penes illum sint. non prolatandum, neque uotis paranda auxilia. nisi forte speratis per tædium iam, aut pudorem tyrannidis esse eum per scelus occupata periculosius dimissurum: at ille eò processit, ut nihil gloriosum, nisi tutum, & omnia re-

tinendæ dominationis honesta æstimet. itaque illa quies, & otium cum libertate, quæ multi probi potius, quàm laborem cum honoribus, capessebant, nulla sunt. hac tempestate seruiendum, aut imperitandum: habendus metus est, aut faciendus Quirites. Nam quid ultra? quæue humana superant, aut diuina impolluta sunt? Populus Romanus paullo ante gentium moderator, exutus imperio, gloria, iure, cogitandi inops, despectusq; ne seruilia quidem alimenta reliqua habet: sociorū, & Latij magna uis ciuitate, pro multis, & egregiis factis à uobis data, per unum prohibetur: & plebis innoxiæ patrias sedes occupauere pauci satellites, mercedem scelerum: leges, iudicia, ærarium, prouinciæ, reges penes unum, denique necis ciuium, & uitæ licentia: simul humanas hostias uidistis, & sepulchra infecta sanguine ciuili. Est ne uiris reliqui aliud, quàm soluere iniuriā, aut mori per uirtutem? quoniam quidem unum omnibus finem natura uel ferro septis statuit; neque quisquam extremam necessitatem,

tatem, nihil ausus, nisi muliebri ingenio, expectat.

Incitatis animis populi commemoratione scelerum Syllæ, opportune eo delabitur, ut eum hortetur ad nefarios illius conatus comprimendos, idque celeriter agẽdum. Duo ergo suadet, & ut obuiam eant, & ut maturent. obuiam eant, ne spolia eorum sint penes illum, maturent, quia spes nulla sit, eum tyrannidem depositurum. deinde uero & facile id etiam ad faciendum esse ostendet. Verum in quærẽda huius suasionis tractatione libet, ut & in superiori concione feci, sequi ordinem, quem seruat Aristoteles in præceptis eloquentiæ tradendis. quis autem is est? Tribus rebus omnem ille fidem fieri præcipit, enthymematibus, affectibus, & moribus. Enthymemata autem eliciũtur ex unoquoq; caussæ genere. sunt enim propria in singulis, perinde ac singula separatum finem propositum habent. Est autem suasionis finis, ut ait Aristoteles, utile. genus autem utilis est ipsum bonum. ergo erunt inuestiganda, quæ sint bona. sunt autem maxime, ut ait Aristoteles, honesta, iusta, possibilia. ergo hi erunt loci, unde suademus, quos Græci rhetores post Aristotelem uocarunt κεφαλαῖα,

ab utili, ab honesto, à iusto, à posibili. à multis etiam adiungitur, immo uero, ut diximus huic in primis generi, ut maxime commodum, attribuitur, à necessario. Ita igitur hi erunt loci, unde hæc suasio ducitur; ab utili, ut recuperent agros,& potestatem à Sylla sibi ereptam; à iusto atque honesto, ut ulciscantur eum, qui prius sibi iniuriam fecit; à necessario ne seruiãt, & quia finem non sit facturus sceleri; à posibili quia ille infirmis opibus est. Atque hæc rursus omnia ex communisimis aliis locis deprompta sunt, nec non etiam ex eorum, quæ conclusionis propositæ terminis insunt, consideratione. de quibus omnibus superiori commentario plura dicta sunt. Perturbationes autem, quibus permouet animos auditorum sunt hæ; odium à sceleribus eius ut impietate, rapacitate, crudelitate; iram mouet ostendens, quod contemnatur à Sylla populus Romanus; inuidiam facit, nimiũ eius imperium exponens; indignationem, ostendẽs præmiis affectos esse à Sylla indignos; misericordiam, exponens miserum statum reipublicæ, & plebis commodis suis,& sua dignitate spoliatæ; metum, explicans odium,&iram Syllæ potentis, *hæc enim faciunt metum, posse, & uelle nocere*, Aristoteles; confidentiam, quod futiles, & imbecilles

eius

eius opes esse dicat. Apparet autem Lepidus in hac concione prudens in prospicienda, & præmonenda seruitute futura, nisi cauerint; probus, cum declarat non ambitione, nec priuato commodo adduci in hanc sententiam; amicus, cum se ducem ad seruitutem repellendam pollicetur futurum, & pericula subire se paratum ostendit. Est autem maxime uaria hæc oratio, nam nunc ad populum, nunc uero ad Syllam sermonem conuertit, illum quidem adhortando, hunc uero criminando: cuiusmodi etiam sunt & tertia, & quarta Ciceronis Philippicæ.

AGENDVM, ATQVE OBVIAM EVNDVM &c. Ratio ab utili, qua, ut se opponat populus tyrannidi Syllæ, persuadet, nempe ut recuperent spolia sibi ab eo adempta. spolia uero appellat libertatem, & agros. est autem indignum pati spolia esse apud hostem. quare etiam erit ab honesto: & quia libertas est inter bona, quæ necessaria sunt, erit etiam à necessario. Atq; hæc quidem uniuersa tractatio cum ex consideratione eorum, quæ ad populum spectabant, tũ uero ex loco à fine hausta est.

OBVIAM EVNDVM. Obuiam ire duo significat, uel prodire obuiã alicui honoris caussa, Græce ἀπαντᾶν, uel resistere, ut hic. Quare cum

Clodius

Clodius diceret sibi ex Sicilia redeunti nem inē obuiam uenisse dixit Cicero, *item ante ne itum quidem esse obuiam, cum maxime iri debuit.* cum intel ligi uellet, non esse in eum factum à iudicibus impetum. Thucydides ἴιναι ὁμόσε τοῖς ἐχθροῖς.

NON PROLATANDVM, NEQVE VOTIS &c. Ratio à necessario, qua, ut maturent in Syllam impetum facere, hortatur. neque enim spes ulla est, eum tyrannidem depositurum; id quod probat ex eo, quia periculosum est, ille uero omnia agit, quæ ad præsidium sui pertineant, & periculum cauet. uidetur autem esse immoratio. Vt autem illa superiora expresſit affirmatione, *Agendum, & obuiam eundum,* sic hæc negatione. Est autem idem *non prolatandum,* quod *agendum. & non uotis paranda auxilia,* quod, *obuiam eundum.* Non ergo prorogādum esse tempus monet ad facienda, quæ oportet, ut sæpe ait Demosthenes, suadet & Cicero in Antonium.

NON VOTIS PARANDA AVXILIA. Idest acriter agendum, & resistendum, significat enim non uerbis, & uotis opus esse, sed factis. Hac sententia refertæ sunt Philippicæ Demosthenis. eandem etiam ipse tractauit in concione Catonis. *Non uotis, neque suppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur.* & in concione Macri. *Iouem aut alium quem*

quem Deum consultorem expectatis. Ab hac sententia incipit Porcius Latro in Declamatione. *Si quid precibus apud Deos immortales uobiscum aliquádo ualuissemus, iandudum potiremur republica nostra florentissima.* Aristhenus ad Achæos libro trigesimo secundo apud Liuium. *Liberare uos à Philippo iamdiu magis uotis, quàm armis audetis*.

NISI FORTE &c. Caussa, cur non sit prolatandum, hæc est. neque enim sperandum est, eum spatio temporis esse per pudorem, aut per tædium tyrannidem dimissurum. Est autem tractata hæc ratio per λύσιν ἀντιπίπτοντος. genus autē hoc refellendi est ei familiare, ut etiam Liuio; sumptum tamen uidetur à Demosthene in primis, ut enim hic ait, *nisi forte*, sic ille, πλὴν εἰ μὴ νὴ Δία, ut in oratione pro Deiopete. πλὴν εἰ μὴ τοῦτο λέγουσι νὴ Δία, ἕως ἂν ἀπέχηται τῆς ἀττικῆς ὁ φίλιππος, οὐκ ἀδικεῖν τὴν πόλιν. est autem dictum cum quodam stomacho, & contrariam infert sententiam, ac uidetur. Ita ut simul ὑποφορὰ, atque ἀνθυποφορὰ his uerbis comprehensa esse uideatur. De his autem in superioris concionis commentario explicatum est.

PER TÆDIVM IAM, AVT PVDOREM. Hoc ut incredibile ait, Syllam tædere, uel pudere tyrannidis.

IAM.

iam. Mox, forte enim ſermo increbuerat eum uelle deponere Dictaturam, quam depoſuiſſe ſuperiore anno pleriſque ſcriptoribus placet.

Per scelus occupata periculosius dimissurum. Fieri nō poſſe probat, ut Dictaturam deponat. non enim niſi cum maximo periculo id facturus eſt, quia per ſcelus eā occupauit. ueriſimile enim eſt fore, ut ii, quibus ille fecerit iniuriam, in eum priuatū faciant impetum. Hanc ſententiam ſic expreſsit Thucydides libro ſecundo in ſecunda concione Periclis. *imperium, quaſi tyrannidem obtinetis, quam occupare iniuſtum, deponere periculoſum eſt.* eadem eſt etiam in epiſtola Phalaridis apud Stobæum de tyranno. *Deponere imperium periculoſius, quàm parare.*

At ille eo processit. Altera λύσις ἀντιπίπτοντος. poterat enim adhuc occurrere quis hoc modo: ille eo animo eſt, ut deponendo Dictaturam, pericula etiam ſubiturus ſit. refellit hoc, & ait, hoc minime ita eſſe, nam eum nihil putare honeſtum, niſi quod tutum ſit, & omnia ea eſſe honeſta, quæ ad retinendam dominationem pertineant. Cum autem duæ potiſsimum cauſſæ ſint, quibus homines ad agendum impellantur.

lantur, Vtilitas, & honestas: hanc semper bene instituti homines superiori præposuerũt: Tyranni autem, quorum mores à recta ciuitatis disciplina desciuerunt, vtilitatem anteponunt dignitati. Ita ergo etiam Sylla nihil putat honestum, quod idem non sit tutum, eaque omnia honesta esse putat, quæ ad retinendam potestatem spectent. ex quo apparet, periculum imminens non esse eum subiturum. Est autem in hac tractatione sola ἀνθυποφορὰ posita; id quod sæpissime ab oratoribus fit; expressaque est per particulam, *at*, quæ ei accommodatissima est: ἀλλὰ idem ualet apud Græcos.

EO PROCESSIT. Sumptum est à Græcis. εἰς τοῦτο προήλθεν. ὥστε ἡγεῖσθαι, Demosthenes.

NIHIL GLORIOSVM, NISI TVTVM. Odium creat Syllæ, qui honestatem negligit, eamque commodis suis postponit. sententia hæc à Thucydide sic expressa est in pestilẽtia. καὶ πανταχόθεν τὸ ἐς αὐτὸ κερδαλέον, τοῦτο καὶ καλὸν, καὶ χρήσιμον κατέστη. Euphemius libro sexto earundem historiarum. ἀνδρὶ δὲ τυράννῳ, ἢ πόλει ἀρχὴν ἐχούσῃ οὐδὲν ἄλογον ὅ, τι ξυμφέρον, οὐδ' οἰκεῖον ὅ, τι μὴ πιστόν.

ET OMNIA. commoratio, uel interpretatio est, augendi caussa.

OMNIA RETINENDÆ DOMINATIONIS.

NIS. Genus est dicendi Sallustianum, deest enim caussa, ut Græci ἕνεκα. sic sæpe, infra in oratione Philippi: *Exercitum opprimendæ libertatis habet*. Sic etiam Liuius in concione Ap. Claudii libro quinto; *quam dissoluendæ tribuniciæ potestatis rentur esse*.

ITAQVE &c. Post breuem cohortationem redit iterum ad incitandos animos populi commemoratione scelerum Syllæ. est autem hoc sciendum, duo hominum genera fuisse Romæ; unum eorum, qui ad rempublicam administrandam accedebant, & ambitioni inseruiebant, & honores capiebant, & in seditionibus ciuilibus alterutri parti se adiungebant, quales erant plerique ciuium: Alterum eorum, qui rempublicam non attingebant, nec sibi attingendam eam putabant, nec magistratus capere, nec seditionibus ciuilibus se immiscere uolebant, sed quiete, & libere degebant, qualem fuisse Atticum scribit Nepos, aut qui post gestos honores, & imperia à republica se abalienabant, ut de Lucullo scribit Plutarchus. Hoc ergo fuit omnium scelerum Syllæ, uel maximum, quod non iis solum non pepercit, qui contra se steterant, cum rempublicam tractarent, sed ne iis quidem, qui neutram partem sequuti erant. itaq; quies, & otium

eorum

eorum cum libertate iam nulla erant.

QVIES, ET OTIVM CVM LIBERTATE &c. QVAM LABOREM CVM HONORIBVS. Hæc opponuntur inter se, *otium labori, libertas honoribus*: de quibus etiam Cicero in procemio de oratore; *In negotio sine periculo, in otio cum dignitate uersari*. Opponit autem libertatem honoribus, quia qui honoribus inseruiunt quodammodo liberi non sunt.

HAC TEMPESTATE &c. Hortatur iterum à necessario. nam cum sint tres conditiones hominum, qui imperent, qui seruiant, qui neque imperent, neque seruiant, ostendit medium uitæ genus non esse in potestate ciuium Romanorum, duo tantum relinquit, ut aut imperent, aut seruiant. imperent sui satellites, seruiat plebs. at seruitus contraria democratiæ fini. necessaria autem est libertas.

TEMPESTATE. Pro tempore, uerbum antiquum, quibus delectatur Sallustius.

FACIENDVS METVS, AVT HABENDVS. Commoratio, qui enim imperant metum faciunt, qui seruiunt, habent. sic etiam Quintilianus libro sexto. *Metum duplicem intelligi uolo, quem patimur, & quem facimus.*

NAM QVID &c. Tertio relabitur ad inci-

tandos animos populi commemoratione ſcelerum Syllæ, & earum rerum, quæ ab eo ſcelerate patrata ſunt. Ea uero ſunt hæc; humana, atque diuina iura polluit; populum imperio priuauit; plebi alimenta eripuit; ſocios, & Latinos ciuitate à populo data prohibuit; plebis ſedes ſatellitibus ſuis dedit; leges, iudicia, ærarium, prouincias, reges ad ſe tranſtulit; uitæ ciuium, neciſque licentiam ſibi uendicauit; ſepulchra ſanguine ciuiũ infecit; ſcelera ſunt; impietas, iniuſtitia, rapacitas, poteſtas nimia, eaque contra leges, crudelitas inaudita. Has autem perturbationes affert animis eorum; iram, nemeſim, odium, miſericordiam.

Nam qvid vltra? Interrogatione uehementior fit oratio. oſtendit autem his ſuprema ſupplicia ſumpſiſſe Syllam de plebe.

Qvæve hvmana svperant, avt divina impollvta svnt? Homines, ac Deos uiolaſſe Syllam ſignificare uidetur, eſt autem ita ſubaudiendum. Quæue humana iura ſuperant polluenda, aut quæ diuina iura ab eo non ſunt polluta? ut pro Roſcio. *Qui cum omnia iura humana, atque diuina ſcelere nefario polluiſſet.* & in Philippicis. *inexpiabili ſcelere omnia iura Deorũ, hominũq; polluere.* Translatio ſumpta ab inquinamẽtis.

Popv-

POPVLVS ROMANVS PAVLLO ANTE GENTIVM MODERATOR. Comparat præsentem statum populi cum superiore, in quo misericordiam mouet. paullo enim ante erat gentium moderator, nunc exutus imperio est. à sublimi autem ad abiectam delabi fortunam, miserabile est.

GENTIVM MODERATOR. Idest, qui iura, legesque gentibus dabat, non quia omnibus imperaret, sed quia plerisque. Demosthenes inquit, τὴν ἑλλάδα διοικῶν. idest *Græciæ moderator*.

PAVLLO ANTE. Exiguitas temporis rem facit miserabilem. nam si multos ante annos hoc passi essent, non adeo miserabilis eorum esset fortuna. ut docet Aristoteles de Misericordia libro secundo Rhetoricorum. *Et quæ modo euenerunt, aut breui euentura sunt, miserabiliora; ponunt enim rem ante oculos.*

EXVTVS IMPERIO. Nedum misericordiam, sed & odium etiam hoc continet, iniustum enim est aliquẽ exui, atque ui priuari eo, quod iamdiu tenet; sic Macer Trib. plebis his eisdẽ historiis. *Exuti omnibus, quæ maiores reliquere.* opponuntur autẽ hæc, *gentium moderator*, & *exutus imperio*. auget autem cum inquit. *imperio, gloria, iure*. idem enim prope ualent: Imperium enim,

& ius

& ius, ideſt libertas ſunt eadem re, differunt autem ratione; imperium reſpicit eum, qui imperat; libertas autem eum, qui nemini ſeruit; gloria autem ex utroque conſequitur. Erat autem populus exutus imperio, quia Sylla prouocationem ad populum ſuſtulerat, Pedianus in ſecundam Verrinam, & Tribunis ius ferendarum legum ademerat, Epitomæ libro octuogeſimo nono.

COGITANDI INOPS. Hæc etiam ſuperioribus grauiora ſunt. eſt enim incertus, quid conſilii capiat, ut in extremo diſcrimine poſitus.

DESPECTVS. Contemptus, qui eſt pars paruifactionis, ex paruifactione uero naſcitur ira. merito autem deſpectam eſſe plebem ait, nam Tribunis plebis aliorum honorum petitionem eripuerat, atque omnem poteſtatem ademerat.

NE SERVILIA QVIDEM ALIMENTA. Hoc eſt etiam apud Ariſtotelem. nam inter eas res, quæ miſericordiam afferunt, ponit *alimenti inopiam, ea enim & interitum, & dolorem affert*. eiuſmodi uero mala ſunt miſerabilia. auget autem, cum ait, ne ea quidem alimenta, quæ ſeruis dantur, plebi dari. Hoc autem intelligere

uidetur, de quo Pedianus in Diuinationem, *plebs rustica partim agros, partim ius ciuitatis amisit, partim proscripta est uictore Sylla, quod plebs Romana de Marianis partibus fuerit.*

SOCIORVM, ET LATII. Hoc pertinet ad id, ut contemptam à Sylla plebem probet, quia quæ præmia ipsa sociis, ac Latinis dederat, ipse eripuit: dederat autem ius ciuitatis. huius autem rei hæc testimonia habemus. inquit enim Cicero pro Cornelio. *Lege Iulia sociis, & Latinis ciuitas data est*. at uero pro domo sua. *Sylla Dictatore ferente populus Romanus comitiis centuriatis municipiis ciuitatem ademit, & agros.*

PRO MVLTIS, ET EGREGIIS FACTIS. Quomodo ciuitas daretur præmii uirtutis loco, legi potest apud Ciceronem pro Cornelio Balbo.

PER VNVM. Verbum apud populum inuidiosum.

ET PLEBIS INNOXIÆ. Concitat odium Syllæ, cum sceleratis bona plebis distribuisse ait; nemesim, cum indignis ea data ait, sunt enim satellites; misericordiam, cum hæc innocentibus erepta esse inquit. Significat autẽ Syllam agros, quos plebi eripuit, suis satellitibus donasse. inquit enim Plutarchus in Sylla. *Pulchris mulieribus,*

fidicinibus,

fidicinibus, histrionibus, libertinis, monstris gentium, agros, urbium uectigalia largitus est, nonnullis inuitarum coniugia fœminarum.

INNOXIÆ. Aristoteles ait, *Misericordiam commouere casum alicuius, qui indignus eo sit*, ita plebs propter innocentiam indigna erat, cui agri eriperentur; innocentibus autem nocere tyrannicum est. itaque Ptolemæus Philadelphus, *cum alia multa incommoda esse in tyrannide*, dicebat, *tum hoc unum, quod innocentes interficere cogerentur sui commodi caussa*, Stobæus de tyrannide. atq; etiã Aristhenes philosophus carnifices pietate præferebat tyrannis, quod illi nisi nocentes mactarẽt, hi autẽ plerunq; innocentes. Quot autẽ innoxios Sylla interfecerit opum eorum caussa Plutarch. in Sylla.

PATRIAS SEDES. Affert misericordiam; suis enim bonis spoliari miserabile est.

OCCVPAVERE. Odium facit, quia per uim, & iniuste id factum est.

PAVCI. Facit inuidiam.

SATELLITES. Nemesim affert. est enim nemesis, offendi bonis alicuius, quibus dignus non est; turpes uero sunt satellites, qui alteri seruiunt, & assentiuntur. quod non est hominis liberi; ut ait Aristoteles.

MERCEDEM SCELERVM. Odium affert, sunt

ſunt enim odio ſcelerati bonis omnibus. merces autem fuit, uel quòd unà intulerint bellum ciuibus, uel quòd proſcriptos interemerint, uel quòd miniſtri libidinis Syllæ fuerint. ſic etiam Cicero ait in Philippicis, Antoniũ colluſoribus, & ſatellitibus ſuis agros donaſſe, itemque Philippum Demoſthenes.

LEGES, IVDICIA, ÆRARIVM. Inuidiam facit, cum nimiam eius potentiã oſtendit, uel potius nemeſim, iam enim ſceleratum dominari probatũ eſt; potentiam autem eius probat hoc modo, quia Conſulum, Senatus, & populi poteſtatem, ex quibus tribus eſſe confuſam rem publicam Romanam ante diximus, ſibi uni uendicauit; ita, ut monarchiæ genus, id quod tyrannis dicitur, fecerit. Hæc autem deſcriptio monarchiæ, quã affert Lepidus eadem ferè eſt apud Plutarchum in Sylla: *Factorum omnium ei per S.C. licentia data eſt. in poſterum tributa poteſtas, necis, confiſcationis, ſortitionum, poſſeßionis, populationis, auferendi regni, conferendi cuicunque libuiſſet.* Similiter etiam in nobilitatem inuidiam mouet Macer apud eundem Salluſtium his eiſdem hiſtoriis. *Aerarium, exercitus, regna, prouincias occupauere.* item Catilina, *omnis gratia, potentia, honos, diuitiæ apud illos ſunt*. Si-

militerque & Memmius in Iugurthino.

LEGES. Legum cōdendarum ius erat apud populum, & apud Senatum: populus ferebat rogante patricio magistratu, ut Consule; quæ præcipue leges dictæ sunt, uel plebeio, ut Tribuno plebis, quæ proprie plebiscita uocata sunt. quæ uero Consule referente senatus decreuit, ea senatuscōsulta dicta sunt, Polybius libro sexto, & Institutiones Iustiniani. Hic ergo, quæ erāt senatus, & populi, ad se transtulit.

IVDICIA. Iudiciorum ius etiam apud Senatum, & populum erat. nam, ut scribit Polybius libro sexto. Senatus cognoscebat maleficia per Italiam commissa, ut proditionis, coniurationis, ueneficii, cædis, insidiarum. Lege autem Tulli Hostilii prouocatio in crimine perduellionis erat à Duumuiris capitalibus ad populum. lege etiam Valerii quisq; à Consulibus ad populum prouocare poterat, ut scribit Liuius libro primo, & secundo. Cum autem ex lege Gracchi iudicia essent penes equites Romanos solum, Sylla ad senatum transtulit, quoniam equites contra se steterant, Pedianus.

AERARIVM. Senatum fuisse ærarii dominum, & administratorem, testis est Polybius libro

bro sexto. Quæstores enim sine auctoritate senatus, nisi iussu Consulis in rem nullam sumptum facere poterant.

PROVINCIÆ. Prouinciæ uidentur & in senatus, & in populi potestate fuisse; alii enim à senatu in prouincias missi sunt, ut Pompeius in Hispaniam, alii à populo, ut idem contra Mithridatem.

REGES. Ius regum appellandorum senatus erat. itaque Nicomedem, Deiotarum, Ariobarzanem, antea etiam Attalum senatum regnare iussisse, & reges appellasse, constat.

NECIS CIVIVM. Polybius libro sexto, *neminem de capite ciuis Romani iudicare potuisse*, ait, *præter populum*. hæc autem per ἀδιάλυτον sunt expressa.

SIMVL HVMANAS &c. Crudelitatis commemoratione odium facit, ostenditque iura etiam diuina esse uiolata, cum homines quasi hostias mactauerit, & ad sepulchra interfecerit. de his autem uidetur intelligere. *L. Sylla M. Plætorium, qui ad eius supplicium exanimis ceciderat, continuo ibi mactauit*, Valerius libro nono. *L. Sylla M. Marium Prætorem per ora uulgi ad sepulchrum Lutatiæ gentis pertractum non prius uita priuauit, quàm oculos infelices erueret, & singulas corporis partes confringeret.*

Valerius eodem loco, Plutarchus in Sylla. *Neque Deorum templa, neque hospitales penates, neq; paternum domicilium à cædibus purum erat.*

VIDISTIS. Mouet à sensu oculorum, qui est accerrimus.

ESTNE VIRIS &c. Tertio hortatur ad arma contra Syllam capienda commotis satis animis superiore scelerum mẽtione. Loci, unde argumentatio ducta est, sunt ab honesto, & necessario; honestum ducit esse, ut Syllæ resistant, uel ut iniuriam ulciscantur, uel ut fortiter moriantur; necessarium, quia mors omnibus proposita est, uiri autem fortes extremam necessitatem expectare nihil ausi non debent. Argumentatio hæc ea est, de qua Cicero in Partitionibus, *Illa autem altera argumentatio quasi retro, & contra prius sumit, quæ uult, eaque confirmat; deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis iacit ad extremum.* quod hic obseruatum est. Vtitur autem interrogatione, quo oratio fiat ardentior.

VIRIS. Vim habet, omnino enim suadere vult, vt aut fortiter se vlciscantur, aut fortiter moriantur. est autem fortitudo ἀνδρεία, quæ est à viro dicta. Hanc definit Aristoteles libro primo Rhetoricorum hoc modo. *Fortitudo est, per quam honestas in periculis obimus actiones, & ut præcipit*

lex;

lex, & legi obtemperamus; timiditas uero contra. ita hic uiri esse ait, idest fortis, uel soluere iniuriam, ex rebus enim honestis una est, ut ex Aristotele de honesto. uel per uirtutem mori, habet enim res periculum, *nihil enim est morte terribilius*, ut ait Aristoteles; periculum autem est appropinquatio rei terribilis, & hoc fortitudo non recusat. sic Liuius libro secundo. *Bellum uobis indictum est, magno eorum malo, qui indixere, si uiri estis.*

PER VIRTVTEM. Nam dixit etiam *uiris*. Vir autem, & uirtus idem sunt hoc loco, quod apud Græcos, ἀνδρεῖος, καὶ ἀνδρεία. Est autem hoc loco attendendum, quemadmodum facere fortiter, & pati fortiter sit honestum, quod etiam tradidit Aristoteles libro primo Rhetoricorum, quod contra contingit in iustitia, quæ enim iuste fecimus, honesta sunt, quæ iuste patimur, turpia. ut cum iure plectimur, id ignominia est.

QVONIAM VNVM OMNIBVS. Quia plerisque mors formidabilis est, propterea ad eam adhortatur alia ratione, quia scilicet ea sit necessaria, nam omnibus natura unum finem statuit, etiam iis, qui ferro sunt septi. quasi ergo soluit obiectionem quandam. At mors etsi honesta sit, non est obeunda. Immo uero, inquit, quoniam

niam est omnibus communis.

VNVM OMNIBVS FINEM. Hæc sententia trita est. Aristophanes sic eam expressit.

τὶ γὰρ φοβεῖσθαι τὸν θάνατον, λῆρος πολύς.
πᾶσι γάρ ἡμῶν τοῦτο ὀφείλεται παθεῖν.

VEL FERRO SÆPTIS. Sumptum à bello est. non enim magis pertimescenda iis mors est, qui uel uirtute, uel insidiis hostium circumuenti sunt, quibusque ferrum imminet, quàm reliquis hominibus omnibus.

NEQVE QVISQVAM. Vt superiora hortantur ad fortitudinem adhibendam, sic hæc hortantur ad timiditatem euitandam, quod est extremam necessitatem nihil ausum expectare. nam illud est uirorum, hoc mulierum.

EXTREMAM NECESSITATEM, Idest mortem, quam supra dixit, *finem*; quam *necessitatem* uocat, quia est communis omnibus, & *extremam*, quia ultima est dissolutio animi, & corporis.

NIHIL AVSVS. Idest nulla re fortiter gesta.

NISI MVLIEBRI INGENIO. Idest nisi qui sunt muliebri natura præditi, ingeniũ enim pro natura ponitur, muliebre ingenium pro timido ponitur. Quare Homerus Achiuos *Achiuas* uocat, timidos eos significans in β Iliados: opponitur autem illi nomini, *uiris*.

Verum

VErum ego seditiosus, uti Sylla ait, quia præmia turbarum queror; & bellum cupiens, quia iura pacis repeto. scilicet, quia non aliter salui, satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens, scriba Cornelius aliena bene parta prodegerint; nisi approbaritis omnes proscriptiones innoxiorum ob diuitias; cruciatus uirorum illustrium; uastatam urbem, fuga, & cædibus; bona ciuium miserorũ, quasi Cimbricam prædam uenum, aut dono datam. At obiectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum. quod quidem scelerum illius uel maximum est, non me, neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus. atque illa, quæ tum formidine mercatus sum pretio, soluto iure, dominis tamen restituo: neq; pati consilium est, ullam ex ciuibus prædam esse. satis illa fuerint, quæ rabie contracta tolerauimus; manus conferentes inter se Romanos exercitus, & arma ab externis in nosmet uersa. scelerum, & contumeliarum omnium finis sit: quorum adeo

Syllam

Syllam non pœnitet, ut & facta in gloria numeret, & si liceat, auidius faceret.

Verum &c. Digreditur hoc loco ad refutanda quædam crimina Syllæ. quorum tria genera sunt. unum Lepidum seditiosum esse; alterum belli cupidum; tertium eundem proscriptorum bona emisse. De aduersariorum quidem criminum dissolutione in uniuersum superiori commentario satis explicuimus. Hæc autem tria quomodo à Lepido diluantur, sigillatim ex Aristotele ostendemus.

Verum ego &c. Aristoteles libro tertio Rhetoricorum docet, *Quoniam fieri potest, ut eadem res pluribus de caussis gesta sit, calumniator deprauare ipsam rem debet in deteriorem partem sumendo, contra qui criminationem depellit in meliorem trahendo ornare.* Hoc loco usus est Lepidus in duobus primis criminibus à se repellendis. se enim non seditiosum esse ait, sed seditiosos præmiis affici queri, nec bellum cupere, sed pacis iura repetere. Tractatus est autem hic locus προτάσει, ὑποφορᾷ, καὶ ἀνθυποφορᾷ, quæ sunt refellendæ obiectionis instrumenta.

Verum. Particula apta est obiectioni refutandæ, ut etiam *at, atenim.*

Ego

EGO SEDITIOSVS. ὑποφορά, qua utebatur Sylla ad eleuandam fidem Lepido. *Quoties autem non pro sua quisque opinione obtinere in Republica putat, seditiones nascuntur, & discordiæ*, Aristoteles in Politicis. est autem ferè seditio, ciuilis tumultus.

VTI SYLLA AIT. πρόθεσις.

QVIA ἀνθυποφορά.

PRAEMIA TVRBARVM QVEROR. Idest quia doleo seditionibus esse proposita præmia.

TVRBARVM. τύρβη, græce tumultum significat; Lucianus. ὁρῶ ποικίλην τὴν τύρβην, καὶ μεστὸν ταραχῆς τὸν βίον. est autem y in u uersum, ut Sylla Sulla.

ET BELLVM CVPIENS. Altera ὑποφορά.

BELLVM CVPIENS. φιλοπόλεμος. est autem grauius bellum, quam seditio, hæc enim cum inimicis, illud cum hostibus, hæc cum suis, illud cum externis, sed tamen hoc etiam ad suos transtulit augendi caussa. De tumultus, belliq; differentia, atque significatione pulcherrimus locus est apud Ciceronem octaua Philippica.

QVIA IVRA PACIS. Alterius obiectionis ἀνθυποφορά. Sunt autem iura pacis, ut æque quisque suis fortunis fruatur, & quiete uiuat. est autem hæc oratio morata, qua sibi beneuolentiam conciliat, odium aduersario parit.

SCILICET. Alius locus refellendi crimina, de quo Aristoteles libro tertio Rhetoricorum, *criminantem recriminari*: Obiicit enim ei possessiones bono

rum satellitibus datas, cædes, cruciatus uirorum, exilia; præclare, *nam*, ut ait Aristoteles ibidem, *absurdum est eius uerbis fidem habere, qui indignus sit, cui credatur.*

SCILICET. Addita est Ironia, sunt autem ironiæ exprimendæ aptæ particulæ, *scilicet, credo, enim,* ut apud Demosthenem δή δία.

NON ALITER SALVI. In contrariam sententiam accippiendum est. Rempublicam nimirum perditam esse, quia Vettius, & Cornelius aliena bene parta prodigunt, & quia plebs approbat proscriptiones, & cædes, & exilia Syllæ. Odium autem parit Syllæ, qui sceleratos præmiis afficit. Nemesim, quia indignos decorari ait.

VETTIVS PISCENS. Hi sunt satellites Syllæ turpiores. de Vettio hoc nihil memini me legisse. Odium ei parit, quòd e Piceno esset, non ex urbe. *Regum cohortem ex ciuibus esse, tyrannorum ex externis*, docet Aristoteles libro quinto de Republica.

CORNELIVS SCRIBA. neque in hunc adhuc incidi, erat autem satelles Syllæ, forte etiam libertus, quia nomen eius sequebatur; ut Sex. Clodius fuit scriba P. Clodij Tribuni plebis, qui egit Ciceronem in exilium. M. Claudius Glicia scriba fuit P. Clodii, qui rem male gessit primo bello Punico, Fasti cōsulum. Aemilius præco satelles fuit Scipionis Aemiliani, Plutarchus in Aemilio. M. Tullius scriba Ciceronis. Parit autem odium à ministerio.

PRODE-

PRODEGERINT. Prodigere est effundere, & consumere, unde prodigus; hoc autem dicit sapienter, *nam*, ut ait Aristoteles libro secundo Rhetoricorum, *qui nouis fruuntur diuitijs incurias inferunt non malitia, sed partim contumeliæ, partim incontinentiæ plenas, ut in uerberationem, & adulterium*. Opponuntur autem hæc bene *parere*, & *prodigere*, quod est male effundere. Idem Aristoteles libro quinto Politicorum ait, *tyrannos malos amicos parere*.

NISI APPROBARITIS OMNES PROSCRIPTIONES INNOXIORVM. Plutarchus in Sylla. *Sylla primo die octoginta proscripsit, altero ducentos, ac uiginti, tertio non pauciores adiunxit, de quibus cum concionem haberet, dixit se quoscunque recordaretur proscribere, quos uero memoria non teneret, se mox proscripturum*. Primus Sylla proscriptionem inuenit, quæ deinde usurpata est à triumuiris Reip. constituendæ, Velleius libro secundo.

INNOXIORVM. Misericordiam, Nemesimque mouet.

OB DIVITIAS. Ita Plutarchus in Sylla. *Proscriptorum magna pars pecuniarum suarum caussa neci tradita est, ita ut interfectoribus sæpe dicendum esset, hunc domus suà, hunc hortus interemit*. C. Aurelius cum ad tabulam accessisset, in eaque nomen suum legisset, dixit Albana uilla me prodidit, & paullo post à sicariis interfectus est. lege in concione Cæsaris in Catilinario. *Nam uti quisque aut domum, aut uillam postremo eius,*

aut uestimentum alicuius concupierat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset. Aristoteles in Politicorum libro quinto. *Tyranni,* inquit, *pecunias congerere, & augere student. Reges, eas potius res, quæ ad honorem, & gloriam ualent.* Habet autem odium sceleratum quicquam moliri diuitiarum caussa.

CRVCIATVS. Vt de M. Mario. M. Pletorio, narrat Plutarchus & Valerius de crudelitate. *Res miserabiles,* ait Aristoteles, *esse eas, quæ interitum afferant, uel dolorem,* inter eas autem numerat uerberationes, & cruciatus corporum.

VIRORVM ILLVSTRIVM. Habet Nemesim, & odium.

VRBEM VASTATAM FVGA, ET CAEDIBVS. His enim duobus modis urbs uexatur a Tyrannis; alios interimendo, alios in exilium pellendo, ut docet Aristoteles. *Tyrãni multitudinẽ ex urbe eijcere solent, ijdẽq, primores interficere imperij cõseruãdi caussa* in Politicis.

FVGA. φυγαῖς. Sertorium intelligit, & reliquos, qui ad eum confugerant, & bellum parabant in Hispania, cum ante proscripti essent a Sylla.

CAEDIBVS. Quam multos interfecerit Sylla docet Plutarchus, Appianus, Valerius.

BONA CIVIVM MISERORVM. Misericordiam affert, quia indigni eo casu fuerint. superius, *innoxiorum.* Ad hoc pertinet, quod est apud Ciceronem secundo de Officiis cum de Sylla sic loquiquitur. *Est ausus dicere, hasta posita, cum bona in foro uende-*

ret, & bonorum uirorum, & locupletium & certe ciuium, prædam suam se uendere.

QVASI CIMBRICAM PRAEDAM. Odium mouet Syllæ, qui bona ciuium uendiderit, aut donauerit, quasi Cimbricam prædam. *Cum Cimbris enim*, inquit, Cicero de officijs libro primo, *bellatum est de capite*. ergo merito præda Cimbrorum, ut capitalium hostium uel uenum, uel dono data est. De Cimbris Marius, & Catulus triumpharunt. Par etiam prouerbium est apud Græcos. μυσῶν λεία. *Misorũ prædá*. de quo Harpocration in Lexicon. Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte, Aristoteles libro primo Rhetoricorum, & illud apud Latinos. *Sardi uenales*.

AT OBIECTAT. Tertium crimen, quod sibi à Sylla obijciebatur, diluit. Obiiciebat autem, quòd bona proscriptorum empta teneret. Diluit autem duobus modis, quorum unus hic, de quo Aristoteles libro tertio Rhetoricorum. *Si calumniator unus ex ijs sit; qui illam culpam, quam criminatur, admiserit*. Ostendit enim Syllam proscriptionis auctorem eius fuisse. Alter uero est, quo criminãtem recriminatur, se enim ait pœnitere, & restituere, quæ emit, Syllam uero minime pœnitere. Argumentatio, qua primus locus tractatus est, dicitur à Græcis Βίαιον; retorquet enim argumentum Syllæ in eum, & ait non se accusandum esse, qui emerit, sed Syllam, qui proscripserit. Hac argumentatione usus est etiam in

epistola

epiſtola Mithridatis. *at qui ea, quæ te poſſe morari uidentur, ſi uera exiſtimare uoles, maxime hortabuntur*. eadem etiam uſus eſt Cicero pro Lege Manilia, cum argumenta Catulli refelleret. Alter locus tractatus eſt comparatione ſuæ uoluntatis, & Syllæ.

OBIECTAT. id enim uituperabile etiam Syllæ aliquando uiſum eſt, præcipue uero in Lepido, qui eius acta reprehenderet. Cornelius Nepos, cum de Attico ſcriberet, laudi id tribuit ei, quòd ad haſtam nunquam acceſſerit.

QVOD QVIDEM SCELERVM ILLIVS. Prima criminis dilutio.

ATQVE ILLA. Altera ratio, qua à ſe repellit Syllæ criminationem, qua ſe pœnitere ait, & bona dominis reſtituere, nec bellum cupere, contra uero Syllam contraria agere. Hoc modo ſe bonum uirum oſtendit, Syllam improbum. Sibi beneuolentiam, illi odium comparat. Hiſtoria autem hæc confirmatur cum ex oratione Philippi, qui inquit. *An Lepidi mandata animos mouent, qui placere ait, ſua cuique reddi, & aliena tenet, belli iura reſcindi, cum ipſe armis cogat*. Tum ex Floro, ubi agit de bello Lepidi, qui ait, *Lepidum acta Syllæ reſcindere uoluiſſe, & proſcriptis bona reſtituere*. idemq́; confirmat etiam Appianus libro primo.

QVAE TVM FORMIDINE. Adiuuat cauſſam ſuam, quantum poteſt, & Syllæ cauſſam opprimit. Eſt enim illud *formidine* in ſui excuſationem dictum Syllæ autem accuſationem.

NEQVE

NEQVE PATI CONSILIVM EST. Hæc, quæ ſequuntur, dicta ſunt ad ornandam uoluntatem ſuam, itaque commoratio eſt, explicandæ magis, & augendæ uoluntatis ſuæ cauſſa, quo maiorem ſibi beneuolentiam pariat hac eximiæ probitatis ſpecie.

PRAEDAM EX CIVIBVS. Præclare, nam præda proprie eſt ex hoſtibus.

SATIS ILLA. Commoratio. Bellorum ciuilium, & incommodorum eiuſmodi finem hunc eſſe cupere ſe ait.

RABIE Rabiem per translationem iram uocat, eſt enim rabies unus ex tribus morbis, quibus canes laborare tradit Ariſtoteles de Hiſtoria animalium, eſtque ea furor, quo incitati huc, & illuc aguntur, ſic etiam Sylla ira exagitatus fuerat, nempe ut inimicos ulciſceretur.

MANVS CONSERENTES. Interpretatio. Exponit enim, quæ ſint ea, quæ rabie contracta tolerauerint. Appianus ſcribit ante bellum Marianum ſeditiones, ac tumultus tantum in urbe excitatos fuiſſe, non exercitu, nec imperatore rem eſſe actam: bello autem Mariano primum ciues ſignis, & exercitu manus contuliſſe. primum cum Sylla reuerſus eiecit Marium ad Portam Collinam, & Exquilinam pugnatum eſt. Deinde in foro cum Cinna ab Octauio eiectus eſt ex urbe. tum ad urbem, cum Cinna & Marius reuerſi ingreſſi ſunt in urbem. demum

mum sæpius & ad urbem, & in Italia, & in Sicilia, & in Africa reuertente Sylla ex Asia.

AB EXTERNIS. A Cimbris, Teutonis, Numidis, Mithridate, hi enim paullo ante uicti erant a populo Romano, cum a Mario, tum a Sylla; quare ijs exercitibus, quos ad ea bella conficienda a populo acceperant, inter se pugnarunt. eademque illa arma, quæ contra exteros parata fuerint, inter ipsos uersa sunt.

SCELERVM, ET CONTVMELIARVM OMNIVM FINIS SIT. Eadem, quæ supra commoratio est, quæ omnia superiora comprehendit, à parte enim ad totum peruenit. *scelera, & contumelias,* Græci κακουργήματα, καὶ ὕβρεις. scelera, afferunt damnum, ut cædes, rapinas, exilia. contumeliæ dedecus, ut stupra. item scelera odium faciunt, contumeliæ iram.

QVORVM ADEO SYLAM. Nunc cōparat Syllæ uoluntatem cum sua, & contendit eum non pœnitere scelerum, & contumeliarum. Huius uoluntatis duo affert signa. unum est quod facta in gloriæ loco ponat. alterum quòd si liceat, auidius faceret. sic in concione Macri. *Neque eos, qui ea fecere, pudet, aut pænitet, sed incedunt per ora uestra magnifice sacerdotia, & consulatus, pars triumphos suos ostentantes.*

Neque

NEque iam, quid existimetis de illo, sed quantũ uos audeatis uereor: ne alius aliũ principem expectantes ante capiamini, non opibus eius, quæ futiles, & corruptæ sunt, sed uestra socordia, quam raptum iri licet, & quam audeat, tam uideri felicem: nam præter satellites commaculatos, quis eadem uult? aut quis non omnia mutata præter uictoriam? scilicet milites, quorũ sanguine Tarulæ, Scyrrhoq; pessimis seruorum diuitiæ partæ sunt. an quibus prælatus in magistratibus capiendis Fufidius ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum? itaque maximam mihi fiduciam parit uictor exercitus, cui per tot uulnera, & labores nihil præter tyranum, quæsitum est. nisi forte tribunitiam potestatem euersum profecti sunt, per arma conditam a maioribus suis: utiq; iura, & iudicia sibimet extorquerent: egregia scilicet mercede, cum

relegati in paludes, & syluas, contumeliam, atque inuidiam suam, præmia penès paucos intelligerent. Quare igitur tanto agmine, atque animis incedit? Quia secundæ res mire sunt uitijs obtentui: quibus labefactatis, quàm formidatus antea est, tā contēnetur: nisi forte specie concordiæ, & pacis, quæ sceleri, & parricidio suo nomina indidit. neque aliter Romani Populi esse belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebs, præda ciuilis acerbißima, ius, iudiciumq́; omnium rerum penès se, quod populi Romani fuit.

NEQVE IAM. Nūc demū attingit τὸ κεφάλαιον τοῦ δυνατοῦ. nam ad suadendū quippiam mirabile est quantam uim facilitatis ostensio habeat, de qua in superiori commentario ea, quæ ad huius etiam loci expositionem pertinent, in uniuersum explicata sunt. in his igitur ostendit Lepidus facile expugnari posse Syllam, quia sit infirmis opibus. Hoc autem probat, quia nullos nisi paucos satellites fidos habet, nam milites, quia eos contume-

liis affecit habebit aduersos. incidit autē locus op portunus ad ignauiā plebis increpandā, quam si abiecerint, ostendit, spem esse melioris futuræ reipublicæ. Mouet autem & hic eundem, quem etiam Pericles, fiduciæ affectum, quibus autem modis hoc faciat sigillatim docebitur. conciliat si bi auditores cum se uereri ait, ne socordia parum audeāt. Tractatio huius loci est κατὰ ἀνθίτεσιν ἀγώνισμα. occurri enim poterat, non esse mouenda arma Syllæ, quia potentissimus sit, refellit eorum obiectio nem, ostendens infirmissimum esse eum, itaque est λύσις ἀντιθέσεως.

NEQVE IAM. Transit a ratione ad rationem. iamque se scire ait eos satis esse superioribus ratio nibus ad bellum Syllæ inferendū inflāmatos, sed sibi dubitationis aliquid afferre, nō opes eius, sed eorū socordiā. ostēndit autem opes esse corruptas, socordiam esse abijciendam. estque hæc quasi cum superioribus rationibus, a quibus aliquanto sui ex cusationis caussa digressus erat, copulatio.

QVID EXISTIMETIS. Hoc ad superiora argu menta pertinet, idest non uereor, quin putetis eum dignum esse, cui bellum inferatur.

SED QVANTVM. Hoc pertinet ad sequentia, quibus metum eorum est ademturus, & fiduciam allaturus; quam ipse audaciam appellat.

NE ALIVS ALIVM PRINCIPEM EXPE- CTANTES. Secordiam eorum damnat, eaque

niam est omnibus communis.

VNVM OMNIBVS FINEM. Hæc sententia trita est. Aristophanes sic eam expressit.

τὸ γὰρ φοβεῖσθαι τὸν θάνατον, λῆρος πολύς.
πᾶσι γὰρ ἡμῶν τοῦτο ὀφείλεται παθεῖν.

VEL FERRO SÆPTIS. Sumptum à bello est. non enim magis pertimescenda iis mors est, qui uel uirtute, uel insidiis hostium circumuenti sunt, quibusque ferrum imminet, quàm reliquis hominibus omnibus.

NEQVE QVISQVAM. Vt superiora hortantur ad fortitudinem adhibendam, sic hæc hortantur ad timiditatem euitandam, quod est extremam necessitatem nihil ausum expectare. nam illud est uirorum, hoc mulierum.

EXTREMAM NECESSITATEM. Idest mortem, quam suprà dixit, *finem*; quam *necessitatem* uocat, quia est communis omnibus, & *extremam*, quia ultima est dissolutio animi, & corporis.

NIHIL AVSVS. Idest nulla re fortiter gesta.

NISI MVLIEBRI INGENIO. Idest nisi qui sunt muliebri natura præditi, ingeniũ enim pro natura ponitur, muliebre ingenium pro timido ponitur. Quare Homerus Achiuos *Achiuas* uocat, timidos eos significans in β. Iliados: opponitur autem illi nomini *uiri*.

Verum

VErum ego seditiosus, uti Sylla ait, quia præmia turbarum queror; & bellum cupiens, quia iura pacis repeto, scilicet, quia non aliter salui, satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens, scriba Cornelius aliena bene parta prodegerint; nisi approbaritis omnes proscriptiones innoxiorum ob diuitias; cruciatus uirorum illustrium; uastatam urbem, fuga, & cædibus; bona ciuium miserorũ, quasi Cimbricam prædam uerum, aut dono datam. At obiectat mihi possessiones ex bonis proscriptorum. quod quidem scelerum illius uel maximum est, non me, neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus. atque illa, quæ tum formidine mercatus sum pretio, soluto iure, dominis tamen restituo: neq; pati consilium est, ullam ex ciuibus prædam esse. satis illa fuerint, quæ rabie contracta tolerauimus, manus conserentes inter se Romanos exercitus, & arma ab externis in nosmet uersa. scelerum, & contumeliarum omnium finis sit: quorum adeo

Syllam

Syllam non pœnitet, ut & facta in gloria numeret, & si liceat, auidius faceret.

VERVM &c. Digreditur hoc loco ad refutanda quædam crimina Syllæ. quorum tria genera sunt. unum Lepidum seditiosum esse; alterum belli cupidum; tertium eundem proscriptorum bona emisse. De aduersariorum quidem criminum dissolutione in uniuersum superiori commentario satis explicuimus. Hæc autem tria quomodo à Lepido diluantur, sigillatim ex Aristotele ostendemus.

VERVM EGO &c. Aristoteles libro tertio Rhetoricorum docet, *Quoniam fieri potest, ut eadem res pluribus de caussis gesta sit, calumniator deprauare ipsam rem debet in deteriorem partem sumendo, contra qui criminationem depellit in meliorem trahendo ornare*. Hoc loco usus est Lepidus in duobus primis criminibus à se repellendis. se enim non seditiosum esse ait, sed seditiosos præmiis affici queri, nec bellum cupere, sed pacis iura repetere. Tractatus est autem hic locus προτάσει, ὑποφορᾷ, καὶ ἀνθυποφορᾷ, quæ sunt refellendæ obiectionis instrumenta.

VERVM. Particula apta est obiectioni refutandæ, ut etiam *at, atenim.*

EGO

EGO SEDITIOSVS. ὑποφορὰ, qua utebatur Sylla ad eleuandam fidem Lepido. *Quoties autem non pro sua quisque opinione obtinere in Republica putat, seditiones nascuntur, & discordiæ*, Aristoteles in Politicis. est autem ferè seditio, ciuilis tumultus.

VTI SYLLA AIT. πρόθεσις.

QVIA ἀνθυποφορὰ.

PRAEMIA TVRBARVM QVEROR. Idest quia doleo seditionibus esse proposita præmia.

TVRBARVM. τύρβη, græce tumultum significat. Lucianus. ὁρῶ ποικίλην τὴν τύρβην, καὶ μεσὸν ταραχῆς τὸν βίον. est autem y in . u . uersum, ut Sylla Sulla.

ET BELLVM CVPIENS. Altera, ὑποφορὰ.

BELLVM CVPIENS. φιλοπόλεμος. est autem grauius bellum, quam seditio, hæc enim cum inimicis, illud cum hostibus, hæc cum suis, illud cum externis, sed tamen hoc etiam ad suos transtulit augendi caussa. De tumultus, belliq; differentia, atque significatione pulcherrimus locus est apud Ciceronem octaua Philippica.

QVIA IVRA PACIS. Alterius obiectionis ἀνθυποφορὰ. Sunt autem iura pacis, ut æque quisque suis fortunis fruatur, & quiete uiuat. est autem hæc oratio morata, qua sibi beneuolentiam conciliat, odium aduersario parit.

SCILICET. Alius locus refellendi crimina, de quo Aristoteles libro tertio Rhetoricorum, *criminantem recriminari*. Obiicit enim ei possessiones bono

rum satellitibus datas, cædes, cruciatus uirorum, exilia; præclare, *nam*, ut ait Aristoteles ibidem, *absurdum est eius uerbis fidem habere, qui indignus sit, cui credatur.*

SCILICET. Addita est Ironia, sunt autem ironiæ exprimendæ aptæ particulæ, *scilicet, credo, enim*, ut apud Demosthenem *ἢ δία*.

NON ALITER SALVI. In contrariam sententiam accippiendum est. Rempublicam nimirum perditam esse, quia Vettius, & Cornelius aliena bene parta prodigunt, & quia plebs approbat proscriptiones, & cædes, & exilia Syllæ. Odium autem parit Syllæ, qui sceleratos præmiis afficit. Nemesim, quia indignos decorari ait.

VETTIVS PICENS. Hi sunt satellites Syllæ turpiores. de Vettio hoc nihil memini me legisse. Odium ei parit, quòd e Piceno esset, non ex urbe. *Regum cohortem ex ciuibus esse, tyrannorum ex externis*, docet Aristoteles libro quinto de Republica.

CORNELIVS SCRIBA. neque in hunc adhuc incidi, erat autem satelles Syllæ, forte etiam libertus, quia nomen eius sequebatur; ut Sex. Clodius fuit scriba P. Clodij Tribuni plebis, qui egit Ciceronem in exilium. M. Claudius Glicia scriba fuit P. Clodii, qui rem male gessit primo bello Punico, Fasti cōsulum. Aemilius præco satelles fuit Scipionis Aemiliani, Plutarchus in Aemilio. M. Tullius scriba Ciceronis. Parit autem odium à ministerio,

PRODE-

PRODEGERINT. Prodigere est effundere,& consumere,unde prodigus;hoc autem dicit sapienter, *nam*, ut ait Aristoteles libro secundo Rhetoricorum, *qui nouis fruuntur diuitijs incurias inferunt non malitiæ, sed partim contumeliæ, partim incontinentiæ plenas, ut in uerberationem, & adulterium*. Opponuntur autem hæc bene *parere*, & *prodigere*, quod est male effundere. Idem Aristoteles libro quinto Politicorum ait, *tyrannos malos amicos parere*.

NISI APPROBARITIS OMNES PROSCRIPTIONES INNOXIORVM. Plutarchus in Sylla. *Sylla primo die octoginta proscripsit, altero ducentos, ac uiginti, tertio non pauciores adiunxit, de quibus cum concionem haberet, dixit se quoscunque recordaretur proscribere, quos uero memoria non teneret, se mox proscripturum*. Primus Sylla proscriptionem inuenit, quæ deinde usurpata est à triumuiris Reip. constituendæ, Velleius libro secundo.

INNOXIORVM. Misericordiam,Nemesimque mouet.

OB DIVITIAS. Ita Plutarchus in Sylla. *Proscriptorum magna pars pecuniarum suarum caussa neci tradita est, ita ut interfectoribus sæpe dicendum esset, hunc domus suà, hunc hortus interemit*. C. Aurelius cum ad tabulam accessisset, in eaque nomen suum legisset, dixit Albana uilla me prodidit, & paullo post à sicariis interfectus est. lege in concione Cæsaris in Catilinario. *Nam uti quisque aut domum, aut uillam postremo eius,*

aut uestimentum alicuius concupierat, dabat operam, ut is in proscriptorum numero esset. Aristoteles in Politicorum libro quinto. *Tyranni,* inquit, *pecunias congerere, & augere student. Reges, eas potius res, quæ ad honorem, & gloriam ualent.* Habet autem odium scelera tum quicquam moliri diuitiarum caussa.

CRVCIATVS. Vt de M. Mario. M. Pletorio, narrat Plutarchus & Valerius de crudelitate. *Res miserabiles,* ait Aristoteles, *esse eas, quæ interitum afferant, uel dolorem,* inter eas autem numerat uerberationes, & cruciatus corporum.

VIRORVM ILLVSTRIVM. Habet Nemesim, & odium.

VRBEM VASTATAM FVGA, ET CAEDIBVS. His enim duobus modis urbs uexatur a Tyrannis; alios interimendo, alios in exilium pellendo, ut docet Aristoteles. *Tyrãni multitudinẽ ex urbe eijcere solent, iidẽq́, primores interficere imperij cõseruãdi caussa* in Politicis.

FVGA. φυγαῖς. Sertorium intelligit, & reliquos, qui ad eum confugerant, & bellum parabant in Hispania, cum ante proscripti essent a Sylla.

CAEDIBVS. Quam multos interfecerit Sylla docet Plutarchus, Appianus, Valerius.

BONA CIVIVM MISERORVM. Misericordiam affert, quia indigni eo casu fuerint. superius, *innoxiorum.* Ad hoc pertinet, quod est apud Ciceronem secundo de Officiis cum de Sylla sic loquiquitur. *Est ausus dicere, hasta posita, cum bona in foro uenderet,*

ret, & bonorum uirorum, & locupletum & certe ciuium, prædam suam se uendere.

QVASI CIMBRICAM PRAEDAM. Odium mouet Syllæ, qui bona ciuium uendiderit, aut donauerit, quasi Cimbricam prædam. *Cum Cimbris enim*, inquit, Cicero de officijs libro primo, *bellatum est de capite*. ergo merito præda Cimbrorum, ut capitalium hostium uel uenum, uel dono data est. De Cimbris Marius, & Catulus triumpharunt. Par etiam prouerbium est apud Græcos. μυσῶν λεία. *Misorũ prædá*. de quo Harpocration in Lexicon. Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte, Aristoteles libro primo Rhetoricorum, & illud apud Latinos. *Sardi uenales*.

AT OBIECTAT. Tertium crimen, quod sibi à Sylla obijciebatur, diluit. Obiiciebat autem, quòd bona proscriptorum empta teneret. Diluit autem duobus modis, quorum unus hic, de quo Aristoteles libro tertio Rhetoricorum. *Si calumniator unus ex ijs sit; qui illam culpam, quam criminatur, admiserit*. ostendit enim Syllam proscriptionis auctorem eius fuisse. Alter uero est, quo criminãtem recriminatur, se enim ait pœnitere, & restituere, quæ emit, Syllam uero minime pœnitere. Argumentatio, qua primus locus tractatus est, dicitur à Græcis βίαιον; retorquet enim argumentum Syllæ in eum, & ait non se accusandum esse, qui emerit, sed Syllam, qui proscripserit. Hac argumentatione usus est etiam in

epistola Mithridatis. *at qui ea, quæ te posse morari uidentur, si uera existimare uoles, maxime hortabuntur*. eadem etiam usus est Cicero pro Lege Manilia, cum argumenta Catulli refelleret. Alter locus tractatus est comparatione suæ uoluntatis, & Syllæ.

OBIECTAT. id enim uituperabile etiam Syllæ aliquando uisum est, præcipue uero in Lepido, qui eius acta reprehenderet. Cornelius Nepos, cum de Attico scriberet, laudi id tribuit ei, quòd ad hastam nunquam accesserit.

QVOD QVIDEM SCELERVM ILLIVS. Prima criminis dilutio.

ATQVE ILLA. Altera ratio, qua à se repellit Syllæ criminationem, qua se pœnitere ait, & bona dominis restituere, nec bellum cupere, contra uero Syllam contraria agere. Hoc modo se bonum uirum ostendit, Syllam improbum. Sibi beneuolentiam, illi odium comparat. Historia autem hæc confirmatur cum ex oratione Philippi, qui inquit. *An Lepidi mandata animos mouent, qui placere ait, sua cuique reddi, & aliena tenet, belli iura rescindi, cum ipse armis cogat*. Tum ex Floro, ubi agit de bello Lepidi, qui ait, *Lepidum acta Syllæ rescindere uoluisse, & proscriptis bona restituere*. idemq; confirmat etiam Appianus libro primo.

QVAE TVM FORMIDINE. Adiuuat caussam suam, quantum potest, & Syllæ caussam opprimit. Est enim illud *formidine* in sui excusationem dictum Syllæ autem accusationem.

NEQVE

Neqve pati consilivm est. Hæc, quæ sequuntur, dicta sunt ad ornandam uoluntatem suam, itaque commoratio est, explicandæ magis, & augendæ uoluntatis suæ caussa, quo maiorem sibi beneuolentiam pariat hac eximiæ probitatis specie.

Praedam ex civibvs. Præclare, nam præda proprie est ex hostibus.

Satis illa. Commoratio. Bellorum ciuilium, & incommodorum eiusmodi finem hunc esse cupere se ait.

Rabie Rabiem per translationem iram uocat, est enim rabies unus ex tribus morbis, quibus canes laborare tradit Aristoteles de Historia animalium, estque ea furor, quo incitati huc, & illuc aguntur, sic etiam Sylla ira exagitatus fuerat, nempe ut inimicos ulcisceretur.

Manvs conserentes. Interpretatio. Exponit enim, quæ sint ea, quæ rabie contracta tolerauerint. Appianus scribit ante bellum Marianum seditiones, ac tumultus tantum in urbe excitatos fuisse, non exercitu, nec imperatore rem esse actam: bello autem Mariano primum ciues signis, & exercitu manus contulisse. primum cum Sylla reuersus eiecit Marium ad Portam Collinam, & Exquilinam pugnatum est. Deinde in foro cum Cinna ab Octauio eiectus est ex urbe. tum ad urbem, cum Cinna & Marius reuersi ingressi sunt in urbem. demum

mum sæpius & ad urbem, & in Italia, & in Sicilia, & in Africa reuertente Sylla ex Asia.

AB EXTERNIS. A Cimbris, Teutonis, Numidis, Mithridate, hi enim paullo ante uicti erant a populo Romano, cum a Mario, tum a Sylla; quare ijs exercitibus, quos ad ea bella conficienda a populo acceperant, inter se pugnarunt. eademque illa arma, quæ contra exteros parata fuerint, inter ipsos uersa sunt.

SCELERVM, ET CONTVMELIARVM OMNIVM FINIS SIT. Eadem, quæ supra commoratio est, quæ omnia superiora comprehendit, à parte enim ad totum peruenit. *scelera, & contumelias,* Græci κακουργήματα, καὶ ὕβρεις. scelera, afferunt damnum, ut cædes, rapinas, exilia. contumeliæ dedecus, ut stupra. item scelera odium faciunt, contumeliæ iram.

QVORVM ADEO SYLAM. Nunc cõparat Syllæ uoluntatem cum sua, & contendit eum non pœnitere scelerum, & contumeliarum. Huius uoluntatis duo affert signa. unum est quod facta in gloriæ loco ponat. alterum quòd si liceat, auidius faceret. sic in concione Macri. *Neque eos, qui ea fecere, pudet, aut, pœnitet, sed incedunt per ora uestra magnifice sacerdotia, & consulatus, pars triumphos suos ostentantes.*

Neque

NEque iam, quid existimetis de illo, sed quantũ uos audeatis uereor: ne alius aliũ principem expectantes ante capiamini, non opibus eius, quæ futiles, & corruptæ sunt, sed uestra socordia, quam raptum iri licet, & quam audeat, tam uideri felicem: nam præter satellites commaculatos, quis eadem uult? aut quis non omnia mutata præter uictoriam? scilicet milites, quorũ sanguine Tarulæ, Scyrrhoq́ꝫ pessimis seruorum diuitiæ partæ sunt. an quibus prælatus in magistratibus capiendis Fufidius ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum? itaque maximam mihi fiduciam parit uictor exercitus, cui per tot uulnera, & labores nihil præter tyranum, quæsitum est. nisi forte tribunitiam potestatem euersum profecti sunt, per arma conditam a maioribus suis: utiq́ꝫ iura, & iudicia sibimet extorquerent: egregia scilicet mercede, cum

lijs affecit habebit aduersos. incidit autē locus opportunus ad ignauiā plebis increpandā, quam si abiecerint, ostendit, spem esse melioris futuræ reipublicæ. Mouet autem & hic eundem, quem etiam Pericles, fiduciæ affectum, quibus autem modis hoc faciat sigillatim docebitur. conciliat sibi auditores cum se uereri ait, ne socordia parum audeāt. Tractatio huius loci est κατὰ ἀνθίτεσιν ἀγώνισμα. occurri enim poterat, non esse mouenda arma Syllæ, quia potentissimus sit, refellit eorum obiectionem, ostendens infirmissimum esse eum, itaque est λύσις ἀντιθέσεως.

NEQVE IAM. Transit a ratione ad rationem. iamque se scire ait eos satis esse superioribus rationibus ad bellum Syllæ inferendū inflāmatos, sed sibi dubitationis aliquid afferre, nō opes eius, sed eorū socordiā. ostēndit autem opes esse corruptas, socordiam esse abijciendam. estque hæc quasi cum superioribus rationibus, a quibus aliquanto sui excusationis caussa digressus erat, copulatio.

QVID EXISTIMETIS. Hoc ad superiora argumenta pertinet, idest non uereor, quin putetis eum dignum esse, cui bellum inferatur.

SED QVANTVM. Hoc pertinet ad sequentia, quibus metum eorum est adempturus, & fiduciam allaturus, quam ipse audaciam appellat.

NE ALIVS ALIVM PRINCIPEM EXPECTANTES. Secordiam eorum damnat, eaque

ἐπιτίμησις, & παρρησία, quod sæpissime etiã facit Demosthenes in Philippicis. ut in altero commentario, dum similem Periclis sententiam explicarem, significaui.

NON OPIBVS, EIVS QVAE FVTILES. Significat plebi non opes eius reformidandas, quas prius maxime reformidabat. Atq; in hoc id, quod ex Aristotele & in Periclis concione animaduertimus, obseruat, Syllæ enim uires ut hostis spectat, id quod ad belli cõsideratione̅ maxime accõmodatũ est. Id quod etiam ad eum, qui fiduciam afferre uult plurimum interest, ut aut nullos, aut imbecillos esse aduersarios ostendatur.

QVAE FVTILES. Sic etiam Demosthenes prima Olynthiaca, *neque enim, ut uidentur, res Philippi optime se habent*.

CORRVPTAE. Trãslatio a fructibus sumpta.

SED VESTRA SOCORDIA. Socordiam uocat Demosthenes τὴν ῥαθυμίαν, καὶ τὴν ἀμέλειαν.

QVAM RAPTVM. Hic locus corruptus est, & mendosus, & uidentur pauca quædam deesse, quæ restitui sine antiquo fide digno codice nequeunt. Quantum autem coniectura colligi potest, uidetur esse locus ab Aristotele tractatus libro secundo de fiducia, ubi numerans res, quæ fiduciam afferant, in quit, *si malum sanari, & corrigi possit*. omne autem hoc incommodum cum ab ignauia eorum proficisceretur, abiecta ignauia desinebat. Quod in pri-

ma etiam Philippica Demosthenes Atheniensibus pollicetur, si fecerint, euenturum.

NAM PRAETER SATELLITES. Infirmas opes Syllæ esse probat ex eo, quia nullos habeat fidos præter sceleratos satellites. Eodem loco usus est etiam Demosthenes in oratione ad epistolam Philippi, item in prima olynthiaca. *Deinde & motus Thessalorum illum turbant, hi enim natura, & reliquis omnibus infidi fuerunt, & id ipsum nunc experitur etiam Philippus.* Et in prima Philippica. *Neque enim putetis, tanquam Deo, res illi præsentes fixas esse, & immortales, sed & odit eum aliquis, & metuit, Athenienses, & inuidet, eorum etiam, qui ei uidentur esse coniunctissimi, & uniuersa, quæ in alijs quibusdam hominibus insunt, & non eius quoque familiaribus existimandum est inesse.* Habet autem maiorem uim oratio Demosthenis, qui Philippum ne amicos quidem fides habere ait. Interrogatione autem locus tractatur.

COMMACVLATOS. Odium mouet Syllæ a scelere, & turpitudine satellitum.

EADEM VVLT. Eadem uelle est amicum esse. nam Catilina supra ait. *idem uelle, & idem nolle, ea demum firma amicitia est.* Aristoteles etiam libro secundo Rhetoricorum de amore. *amicos eos esse,* ait, *quibus eadem bona, & eadem mala sunt, ut qui eosdem habent amicos, & eosdem inimicos. eadem enim ut ij uelint, necesse est.* Satellites autem Syllæ eosdem habebant inimicos, quos Sylla, plebem scilicet. Atque etiam Aristoteles libro

bro quinto Politicorum inquit. *Et Regia quidem potestas amicorum fide, & præsidio maxime conseruatur. Tyranni autem est amicos potissimum habere suspectos, infidosque, quasi uero omnes uelint, hi autem maxime cum possint de medio tollere.*

AVT QVIS NON OMNIA MVTATA PRAETER VICTORIAM. A nemine ipsum amari, ne ab ijs quidem, qui eius partes sequuti sunt, adhuc, apertiusq; demonstrat. non solũ enim ei nulli sunt fidi, sed odio etiam illum habent, uictoriam enim amant, odere uictorem.

QVIS NON OMNIA MVTATA. Hoc est νεωτερίζειν. idest nouarum rerum cupidos esse.

SCILICET MILITES. Αὐτοῖς ἀντιπίπτοντος. resistere enim quis poterat, asserens, amicos multos Syllam habere, nam milites ueteranos omnes ei esse amicos. hanc eorum obiectionem dissoluit, & ostendit eos ei esse inimicissimos, & iratos. ira autem ex contemptu nata est, contempti autem sunt, cum præmia sint data turpibus satellitibus, & ijdem sibi in capiendis magistratibus sint prælati. Oratio tractatur ironia. Argumentatio est inductio. paucos enim satellites quosdam nominat, quos ipse prætulerat militibus, ex quibus omnes intelligit.

SCILICET. Cum interrogatione, & ironia, ut etiam superius. ut, *scilicet is superis labor est.*

MILITES. Hi erant milites ueterani, quibus Asiam Sylla à Mithridate receperat, & Rempu-

blicam

blicam recuperat.

SANGVINE. Grauius uerbum, quàm labore; uerè autem ait ſanguine, cum plerunque etiam anima profundatur. tanto igitur iuſtior ipſorum ira.

TARVLAE SCYROQVE. Hi ſunt ex Syllæ ſatellitibus, in quos nunquam incidi. ab uno omnes intelligit.

PESSIMVS SERVORVM. Odium creat illis, quòd ſint ſcelerati. Nemeſim, quia ſerui, indignamur autem indignis bona adeſſe. Eſt hoc autem græce dictum τοῖς κακίστοις τῶν δούλων. Cum autem milites à Sylla prætermiſſi ſint, ergo contempti, ſi contempti, irati ſunt, ſi irati ultionem appetunt, hæc autem fiduciam affert, ut docet Ariſtoteles.

AN QVIBVS. Hoc etiam eodem modo contemptum continet, turpem miniſtrum præferri militi.

FVFIDIVS. Hic dicitur a Floro de bello Mariano Furſidius. eſt autem ille, qui Syllam admonuit, ut ſineret, aliquos uiuere, ut eſſent, quibus ipſe imperaret. Oroſius Furſidium primi pilarem nominat. Horatius etiam mentionem facit cuiuſdam Fufidii diuitis, & auari Satyra ſecunda.

Fufidius Vappæ famam timet ac nebulonis.

Diues agris, diues poſitis in fœnore nummis.

ANCILLA TVRPIS. Adducit in odium a ſcelere. Nemeſim à miniſterio. ancillam cum uocat, ſignificat Syllam abatum eſſe ætate illius, nam ferè

cum

cum uirum mulieris nomine appellamus, eiusmodi aliquid significamus, ut Cicero ad Atticum Antonium uocat filiolam Curionis, erat enim Curio in amoribus Antonij ex Philippica secunda. Item de Oratore. C. Opimius, qui adolescentulus male audierat festiuo homini Egilio, qui uideretur mollior, nec esset, dixit, Quid tu mea Egilia, quando ad me uenis cum tua colu, & lana.

HONORVM DEHONESTAMENTVM. παρονομασία, qui honores omnes deturparet. Sallustius in libris Historiarum de Sertorio loquens, *quo ille dehonestamento corporis maxime lætabatur*.

ITAQVE MIHI. Conclusio est per repetitionem eiusdem rationis, qua confirmare uult animos populi ad bellum, quia qui milites Syllam desensuri esse uideri possent ijdem maxime populi partes sint amplexuri. Caussæ præter eas quæ dictæ sunt, sunt etiam hæ, quòd tyrannidem ipsis imposuit, quòd Tribunitiam potestatem euertit, quod syluas, & paludes eis donauit, præmiaque ampliora satellitibus, quàm ipsis distribuit. quibus modis, & incommodasse & despexisse, atque contumelia illos affecisse Syllam apparet. hæc autem sunt ea, propter quæ alicui irasci solemus.

MAXIMAM MIHI FIDVCIAM. Aristoteles de fiducia ait, fidentes reddi posse, *quoties plures sint, quibus eadem conducant*. itemque, *Si subsidia aut multa, aut magna adsint*.

CVI PER TOT VVLNERAM. Repetitio eius, quod & superius; dixit autem superius, *sanguine*, quemadmodum etiam, quod prius, *Milites*, hic, *exercitum* appellat: mouet autem & pathos, quia tot malis affecti sint, & Nemesim, quia inde non præmiis, quibus digni erant, ornati, sed tyrannide oppressi sunt. quare & odiũ incitat in Syllam. Illud autem exprimit græca particula κατὰ, per tot uulnera pro tot uulneribus, ut, per arma, pro armis.

NIHIL PRAETER TYRANNVM QVAESITVM EST. Idest seruitutem in Tyrannide; hæc autem maxima est incommodatio ipsi allata, ob quã merito irasci debeant.

NISI FORTE. Ironia tractat sequentes duas incommodationes.

TRIBVNITIAM POTESTATEM PER ARMA CONDITAM. Exemplo maiorum mouet eos, qui maiores tribunitiam potestatem armis pararunt, hi armis euerterunt. Parata est Sp. Cassio, C. Postumio Consulibus, plebs enim armata in montem sacrum secessit, nec nisi concesso plebeio magistratu inde reduci potuit. Sylla uero Tribunitiam potestatem euertit, iniuriæ enim potestatem eripuit, auxilii reliquit, & ne Tribunus plebis alios capere magistratus posset, interdixit, Cicero de Legibus, Pedianus.

IVRA ET IVDICIA. Leges & iudicia à populo ad Syllam translata sunt, nam Dionysius ait libro

quarto, trium rerum fuisse populum dominum, magistratuum mandandorum, legum ferendarum, & belli indicendi. Valerius Poplicola legem de prouocatione ad populum tulit, ut superius diximus.

EGREGIA SCILICET MERCEDE. Attingit hic καταφρόνησιν, quia ipsi præteriti sunt a Sylla, aliis præmia tributa sunt. Ironia tractatur oratio.

RELEGATI IN PALVDES. Hæc est ὕβρις. Syluas enim, & paludes militibus dedisse Syllam significat, non autem pecunias, aut prædam, quo modo ditauit milites suos Scipio Aemilianus.

RELEGATI. Verbum iræ plenum, & contemptus.

CONTVMELIAM ATQVE INVIDIAM SVAM, PRAEMIA PENES PAVCOS. Non solum hæc καταφρόνησις est, sed etiam ὕβρις. itaque omnes hic iræ partes tanguntur. Sic Demosthenes Philippi duces infidos esse ait, *quia cum præclarissime se gesserunt, maximis conuicijs, & contumelijs præter meritum incessuntur.*

INVIDIAM. Inuidia actiue capienda est, effecit enim, ut multis inuiderent, nempe satellitibus. inuidia autem non in eo qui inuidet solum, sed in eo etiam, cui inuidetur, dicitur, Cicero in Tusculanis. Vel inuidia pro odio. incurrebant enim in multorum odium, quòd ipsi t rannum sibi, & cæteris instituissent.

PENES PAVCOS. Satellites, quos & superius diuitiis,

diuitiis, honoribusque affectos dixit.

QVARE IGITVR TANTO. Λύσις ἀντιπίπτοντος. Occurri enim potest, immo uero ille potens est, cum tanto agmine incedat: est enim hoc potentiæ signum. Respondet, caussam esse prosperitatem, quæ uitiis tenebras offundit, quòd si ille paullum labefactabitur, quàm ante formidatus est, tam contemptum iri in posterum, nisi specie pacis, & concordiæ eos decipiat. tractatio est per subiectionem, petit enim a semetipso caussam, deinde ea subiicit, quæ sibi opportuna uideantur. sententiam hanc mutuatus est à Demosthene prima Olynthiaca. *Nimirum enim hæc nunc eius successibus obscurantur, quandoquidem res secundæ magnam uim habent ad occultanda, & obumbranda talia probra; at si paullum impegerit, tum in omnem eius uitam, & fortunas inquiretur.* Itemque ex responsione ad epistolam Philippi. *Qui fit igitur, si ista uera sunt, ut iam longum tempus in fide maneant, nec eum deserant? quia successus, Athenienses, hæc omnia caligine inuoluunt, nam secundæ res magnam uim habent ad peccata hominum contegenda, & obumbranda. at si quam cladem acceperit, tum in apertum hæc omnia palan proferentur.*

QVARE TANTO AGMINE. ὑποφορά. Comites significat, quos plurimos secum habebat.

TANT ANIMIS. Idest spiritibus, fastu, superbia.

INCEDIT. Incedere est ingredi, sed cum quo-

NISI FORTE. Αὐτοῖς ἀντιπίπτοντες. Quia dixit contemptum iri. occurrit, nisi forte ille uos decipiet specie pacis & concordiæ.

SPECIE CONCORDIAE ET PACIS. Deest aliquid huic sententiæ, forte subaudiendum est, decipiet. ille enim profitebatur se recuperasse Rempublicam.

SCELERI. Genus est Κακία.

PARRICIDIO. Species parricidium etiam de patria dicitur.

NEQVE ALITER. Adiungit uerba, quibus solitus erat uti Sylla, ut ab oratione ei odium pariat. Sic Cicero recitat aliquando dicta superba Antonii. ut, *se uenturum ad urbem quotiescunque uelit*, &, *nisi uictorem uicturum neminem*. & illud ad septem uirum, *quod concupisces habebis*.

MANEAT EXPVLSA. Odium affert. historia exposita est.

PRAEDA CIVILIS ACERBISSIMA. Misericordia.

IVS IVDICIVMQVE OMNIVM RERVM PENES SE, Inuidia.

QVOD POPVLI ROMANI FVIT. Misericordia.

QVAE

PERORATIO.

Quæ ſi uobis pax, & concordia intelligantur: maxima turbamenta Reipublicæ, atque exitia, probate, annuite legibus impoſitis, accipite otium cum ſeruitio, & tradite exemplum poſteris ad populum Romanum ſuimet ſanguinis mercede circumueniendum. mihi quamquam per hoc ſummum imperium ſatis quæſitum erat, nomini, maiorum dignitati, atque etiam præſidio, tamen non fuit conſilium priuatas opes facere, potiorq́ue uiſa eſt periculoſa libertas quieto ſeruitio. Quæ ſi probatis, adeſte. Quirites, &, bene iuuantibus Dijs, M. Aemilium Conſulem ducem, & auctorem ſequimini ad recipiendam libertatem.

Docet Ariſtoteles perorationes ornari hoc modo ſolere. ſi repetamus, moueamus conciliemus. Repetit argumenta fere ſuperiora, quæ ſunt ducta a locis

a locis his, a turpi. & ab inutili: est enim inutile probare pacem, quæ sit turbamentum reipublicæ, & otium accipere, quod afferat seruitutem. & legibus parere quæ per uim sint impositæ. turpe etiam est, tradere exemplum seruitutis posteris. a suo cõsilio suadet, qui periculosam libertatem anteponat quieto seruitio. Mouet, odium creans Syllæ, fiduciam afferens plebi a Deorum ope, conciliat cũ uoluntatem suam egregiam ostendit, qui priuatis commodis, & honoribus non inseruiat, sed publicis, & qui periculosam libertatẽ malit, quàm quietam seruitutem, & qui se ducem eorum profitetur fore ad recipiendam libertatem. Amplificatio est in epithetis, & uerbis idem ualentibus. Tractatio est figura permissionis cum ironia.

QVAE. SI VOBIS. Pax & concordia non sunt ea, sed turbamenta Reipublicæ. ergo non probanda, nec annuendum legibus impositis. Figura, quæ a Græcis dicitur ἐπιτροπή, id est permissio, est autem quoties alicui rei confidimus, & nostro iure auditoribus largimur, ut quemadmodum uidetur illis cõstituant. adiuncta est autem Ironia, ut contrariam exprimat sententiam. sic Demosthenes quarta Philippica. *Verum si quis alius id dicit, uobisque persuadet, esto: ne defendite uos, amittite omnia. Sin hoc nemini uidetur, sed contrarium præscimus omnes, quid tergiuersamur, quid moramur?* Sc Liuius in concione legatorum Macedonum libro trigesimo primo. *Assuefacite his terris legiones*

nes externas, & iugũ accipite, sero ac nequicquã cum dominum Romanum habebitis, socium Philippum quæretis. Sic Cato apud Sallustium. *Misereamini censeo, deliquere homines adolescentuli per ambitionem, atque etiamarmatos dimittatis. næ ista uobis misericordia, si illi arma ceperint, in perniciem conuertetur.* & Virgilius libro quarto Aeneidos.

I, sequere Italiam uentis, pete regna per undas.
Spero equidem medijs, si quid mea numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis.

LEGIBVS IMPOSITIS. Iniustas leges fuisse indicat, nam tanquam onus sunt impositæ. sic Cicero ad Atticum *Consul est impositus nobis.* superius autem *leges penès Syllam fuisse* iam dixit.

ACCIPITE OTIVM CVM SERVITIO. παροιμασία. *Otium* autem, idest *pacem & concordiam,* sic enim ille appellabat. *Cum seruitio* uero, quia leges imposuit grauissimas, quibus libertas erepta est. hæc omnia afferunt damnum. Superius etiam dixit. *Otium cum libertate sublatum e Republica Romana esse, uerum aut imperitandum, aut seruiendum,* ijs uidelicet, qui in otio esse uelint.

TRADITE EXEMPLVM. Hoc est infamiæ, neque enim ipsi à maioribus ea exempla habebant.

MIHI QVANQVAM. Nunc & iudicio suo bellum suadere uult, & sibi conciliat auditorem à uoluntate sua erga populum. remouet autẽ eas caussas, quibus obijci possit, eum hanc partem esse aggressum, præsidii, & honoris gratia, & ait se hac de

caussa

caussa non permoueri, nam se cum consulatu adeptum satis, satis enim firmum esse aduersus Syllam, & satis etiam honoris esse consecutum & addidisse familiæ, & dignitati maiorum.

PER HOC SVMMVM IMPERIVM. Idest consulatum, quæ etiam summa potestas dicitur, idest quia ei prouincia decreta erat, & imperium.

NOMINI. Famæ, immortalitati, quippe cum anni Consulum nominibus appellarêtur in Fastis.

MAIORVM DIGNITATI. Quorum plurimi hoc honore usu sunt.

PRAESIDIO. Propter lictores, & quia magistratum uiolare nefas.

TAMEN NON FVIT CONSILIVM. Sic Demosthenes in oratione pro Deiopete rationem uitæ suæ in fine orationis commodat Atheniensibus.

PERICVLOSA LIBERTAS QVIETO SERVITIO. Contraria hæc omnia.

QVAE SI PROBATIS. Hortatio extrema.

BENE IVVANTIBVS DIIS. Hic locus traditus est ab Aristotele libro secundo Rhetoricorum de fiducia, & a Demosthene ad epistolam Philippi, & a Liuio in oratione Sulpitii de bello in Macedoniam transferendo, ut Deos sibi facere dicant.

M. AEMILIVM. Non dixit me, sed M. Aemilium modestiæ caussa.

CONSVLEM. Imperium affert fiduciam.

DVCEM Ad agendum.

AVCTOREM. Ad consultandum.

AD RECIPIENDAM LIBERTATEM. Vsus
est uerbo Democratiæ gratissimo, non enim dixit
ad bellum inferendum, ne uideretur seditiosus, nec *ad*
imperium comparandum, ne tyrannidis auidus, sed *ad li-*
bertatem, quæ semper honesta est nec dixit *compa-*
randam, sed *recipiendam*, est enim multo honestius
recuperare, ea, quæ amicimus, quàm
comparare, quæ non habemus. in
quo uerbo locus latet ἀπὸ τοῦ
καλοῦ, atque etiam τοῦ
ἀναγκαίου.

F I N I S.



AVCTORIS CITATI
IN HIS COMMENTARIIS

In quo illud notandum. In singulis paginis plures eiusdem auctoris locos posse reperiri. Itemque libros auctorum, qui cum citarentur breuitatis caussa aliquando nominati non sunt, hic eos indicari.

Aristoteles
In Rhet. Lib. primo 15, 34, 37, 52, 55, 57, 58, 59, 62, 93, 101, 103, 122, 129, 151, 155, 157, 159, 162, 169, 177, 179, 196, 197
Lib. sec. 25, 37, 38, 42, 43, 50, 55, 57, 60, 69, 70, 73, 80, 83, 85, 90, 91, 94, 103, 111, 112, 113, 117, 120, 121, 130, 134, 139, 154, 157, 158, 159, 174, 180, 189, 213, 216, 220
Lib. ter. 13, 34, 36, 38, 55, 70, 86, 95, 110, 154, 166, 168, 169, 200, 201, 202, 203, 205, 222, 225
In Prioribus Analyticis
Libro primo 23
Libro secundo 52, 117
In Topicis 57, 60, 113
In Ethicis Libro primo 52
Libro secundo 42
Libro septimo 38, 39, 88
Lib. decimo 66
In Politicis lib. primo 86
Lib. sec. 19, 28, 66, 84, 96, 100
Lib. Quinto 153, 159, 163, 171, 202, 203, 204, 214, 220
Lib. sexto 191
In Physicis 53
De Historia animalium 207
Appianus 144, 167, 206, 207
Apollodorus de origine Deorum 124
Aristophanes 198
Augustinus de ciuitate Dei, 142, 152, 153
Aulus Gellius 141, 142
Auctor Rhet. ad Alex. 59, 80
Auctor de Viris Illustribus 144, 163
Auctor Scholiorum in Thuc. 96, 142
Asconius Pedianus 167, 190, 191, 194, 217
Boethus in Topica Cice. 61
Carolus Sigonius De Repub Athenien

Atheniensium 28
Cæsaris Comm. de bello Gall. 168
Cicero de inuentione 36,78
In Partitionibus 38,60,77,78,91,92,110,170,171,196
In Topicis 26,27,60,113
De Orat. 11,26,37,55,57,59,60,77,81,86,87,91,95,111,112,113,137,138,139,187,216
De claris Orat. 17,166
In Orat. Perfecto, 12,13,38,167
In Epist. ad Q. Fratrem 120
In Epist. Fam. 47
In Epist. ad Att. 216,224
In Epist. ad Octauium 168
De Off. 70,140,169,204
In Tusculanis Quæst. 176,118
De Rep. 152
De legibus 152,217
In Paradoxis 176
In Orationibus
Pro Sex. Roscio 188
Pro lege Manilia 80,170,206
Pro Cornelio 191
Pro Milone 47,58
Philipp. prima 157
Philipp. secunda 216
Philipp. tertia 181
Philipp. quarta 146,181
Philipp. quinta 190
Philipp. sex. 106
Philipp. septima 138
Philipp. octaua 201
Philipp. undecima 174
Cornelius Nepos in uita Att. 186,206
Dionysius Halicarnasseus
De iudicio Thucydidis historiæ ad Tuberonem 9,11,15,137
De propriis Thucydidiæ elocutionis formis ad Ammæum 10,11
In Epist. ad Cn. Pomp. 11
In Historiis 217
Demetrius Phalereus de elocutione 10
Dionysius Longinus de sublimi genere dicendi, 11
Diodorus Siculus, 64
Dio, 167
Demosthenes
Olynthiaca prima 45,138,151,113,212,219
Olyntiaca secunda 110,16
Olynthiaca tertia, 20,45,140
De Halonesso 165
De Cheronesso, 45,135,162

Ad

Ad epistolam Philippi, 51, 121, 146, 113, 219, 225
Pro Deiopete, 183, 225
De Rhodiorũ libertate, 80
De pace, 105
περὶ συμμορυῶν, 105, 129, 133, 136
Philipp. prima, 105, 106, 159, 172, 213
Philipp. secunda 153, 155
Philipp. quarta 164, 223
Pro Ctesiponte, 205
Epitome Liuii 173, 175, 190
Epicharmus, 139, 151
Fasti Consulares, 143, 167, 202
Gaspar Contarenus Cardinalis de Rep. Ven. 28, 116, 152
Hermogenes
De statibus 27
De inuentione 76, 111
De Ideis 38
Horatius 47, 115
Homerus 66, 198
Herodotus 118
Hesiodus 139
Isocrates
De pace 36
In Panegyrico 69. 70
Institutiones Iustiniani, 194
L. Florus, 169, 175, 206
Liuius
Lib. primo 194
Lib. secundo 194
Lib. quarto, 30, 40
Lib. quinto, 69, 81, 136
Lib sexto 197
Lib nono 81
Lib. trigesimo primo 223
Lib. trigesimo secundo 135
Lib. trigesimo quarto 66, 72
Lib. trigesimo quinto, 30, 40
Lib. trigesimo sexto. 183
Lib. quadragesimo primo 82
Lucianus, 201
Marcellinus in uita Thucy. 11
Macrobius 142
Nonius Marcellus, 141, 142, 158
Plutarchus
De Institutis Lacedæmoniorum 98, 134
De Præceptis Politicis, 29, 139
De uirtute 42
In epistola consolatoria ad Apollonium. 150
In Pericle 17, 18, 20, 40, 78, 119, 130
In Solone 28, 118
In Lycurgo 67, 96, 97, 134
In Pomp. 143, 167
In Sylla, 175, 192, 193, 196, 203, 203
In Lucullo, 186

Plato

Plato
In Alcibiade primo, 16,19
In Phædro 16
In Gorgia 18,19
In Theage 19
In Lachete 67
Pindarus 46
Ponius 144
Polybius, 152,170,194,195
Paullus Orosius, 144, 115
Quintilianus,17,25,34,59,77,
139,187
Sallustius
Libri Historiarum, 66,129,
138,156,158,166,167,183,
189,193,206,208,216
In coniuratione Catilinæ 80,
129,164,182,193,203,113,
294
In bello Iugurthino 164,220
In epistola ad Cæsarē Vulgo
eidem scripta 52,157,220
In oratione in Cic. eidē ascri
pta 172
In epistola Mithridatis 206
Stobæus, 131,164,184,192
Suetonius, 167,172
Theognis, 51
Thucydides
Lib. primo 3, 40,46,51,
53,58,61,65,66,69,73,93,
96,97,100, 104, 105, 106,
115,117,123,130,132,135,
170
Lib. secundo 19,20,40, 49,
72, 85, 100, 103, 115, 124,
129,130,132,140,184
Lib. tertio 191,174
Lib. sexto 84,93,133
Lib. octauo 114,119
Vulpianus, 19,78,156
Virgilius 51,220,224
Valerius Maximus, 173, 175,
195,204
Xenophon
De repub. Atheniensium 28,
96,97,125,130
De rep. Lacedæmonios 135
De rebus Græcis, 114

FINIS.



ERRATA.

	Delenda.	*Reponenda.*
Fol.20.uer.5.	illas	illam
31.8.	πολιτεῖν	πολεμεῖν
33.13.	oratorem	auditorem
60.14.	aut uituperandum ua lere	aut uituperandum, ac accusandū aut defendendum ualere.
61.18.	repellarunt	rebellarunt
72.3.	aque	atque
87.14.	in oratore	In de Oratore.
95.8.	in oratore	in de Orat.
96.8.	Peloponnesii	Peloponnesi,
106.24.	'	ἢ
107.21.	Lorum aliquid	locum aliquem.
118.20.	Hærodotus è memoriæ	Herodotus memoriæ.
122.1.	Habeamus	Habent
24.5.	paratam	pacatam
129.11.	iudicabnntnt	indicabuntur
133.18.	iudicabunrur	indicabuntur
135.7.	explationem	explanationem
136.14.	ἐχθὲς	ἐχθρὲς
138.26.	in Orat.	In de Orat.
148.9.	Consulis	Consulum
155.18.	Demosthenes in Philip picis. nam. &c.	Demosthenes. nam. &c.
159.3.	intercere	Interficere.
167.26.	Origenibus	originibus
176.6.	agendi	augendi
176.21.	proficitur	proficiscitur.
177.26.	omniæ	omnia.
203.4.	incurias	iniurias
213.17.	fides	fidos
215.1.	recuperat	recuperarat
15.26.	abutum	abusum



